DE SENECA EPICUREO.

Tanta diu de Senecae ingenio fuit opinio, ut nomen eius cum philosophiae coaluerit ipseque multis visus sit sapiens omnibus numeris absolutus. Immo sacri eius videbantur libri esse, a quibus consolationem repetere in afflictis atque perditis rebus ne apud rigidos quidem Christianae religionis defensores ullam olim habebat offensionem. Quid quod epistularum eum commercio cum Paulo apostolo fingebant coniunctum fuisse. Adeo multis persuasum erat non potuisse fieri, ut tam sancta quisquam ex solis hauriret antiquae philosophiae fontibus. Quae quamquam falsa erat opinio [1]), tamen hoc inde cernitur, hominibus verae sanctitatis coloribus multo magis, quam nostri hodie sunt oculi, assuetis universam Senecae philosophiam non solum austerae gravitatis, sed etiam sanctitatis adspectum visam esse praebere. Accedit quod mors eius aequabat Socratis illam moriendi constantiam Platonis ingenio consecratam. Ipse quoque Seneca totam vitam commentationem mortis vocabat. Per longos annos extremum illum vitae diem, quem aeternae vitae natalem mavult vocare, animo praeceperat ita sese componendo, ut tanta verborum suorum elatione atque magnificentia se posset aliquando dignum praestare. Multos enim cotidie videbat timidissimos, qui tamen audacter loquerentur; qualis quisque revera esset, remotis strophis atque fucis in morte demum dicebat apparere (epist. 26). Quis vero tam est ferreus, qui sine summa possit legere doloris pietate, quae exstant apud Tacitum (annal. XV, 60—64) de ultimis Senecae diebus? Atqui huius scriptoris iudicia iusto dicuntur fuisse severiora. Intimos ille animorum recessus perscrutabatur, simulationum atque dissimulationum omnia ei tum videbantur plena esse. Neque tamen dubitat de Senecae veritate illaque omnino abstinet, qua in magnas voces consuevit uti, interpretandi malignitate, cum illum narrat conversum ad amicos, quod unum iam et

[1]) Cf. G. Boissier, Le christianisme de Sénèque (Revue des deux mondes 1871, II, p. 40—71); La religion romaine d'Auguste aux Antonins II, 17—92. — Constant Martha, Les moralistes sous l'empire romain (la morale pratique dans les lettres de Sénèque, p. 1—100). — C. Martha, Études morales sur l'antiquité (les consolations dans l'antiquité, p. 135—189, l'examen de conscience chez les anciens, p. 191—234).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae se illis relinquere, cuius si memores sint, bonarum artium famam tam constantis amicitiae pretium laturos esse. Moriens igitur sine ullo arrogantiae crimine vitae suae continuis meditandi curis ad philosophiae regulam formatae exemplar et discipulis et universae posteritati potuit relinquere.

Remoto illo errore Christianae putantium Senecam fidei addictum fuisse una atque consentiens diu omnium erat opinio Stoicae doctrinae illius libros quasi praebere perfectionem atque absolutionem. Hoc enim omnes sentiebant inter legendum, a vulgaribus hunc philosophum opinionibus longissimo seiunctum esse intervallo, humanarum rerum contemptorem esse, singulari denique excellere ingenii altitudine. Quid mirum quod plerique omnes sine ulla dubitatione illius eum philosophiae sectatoribus adnumerabant, quae omnem humanae naturae infirmitatem ut vestem putaretur exuisse. Idque rectissime. Quaerentibus enim, quam ille philosophiam professus sit, breviter responderi potest inter Zenonis eum discipulos numerandum esse. At quantas illa Stoicorum doctrina ostendebat varietates! Nam cum conditores austerissimae illius philosophiae vulgi opinionibus omnino nihil tribuissent atque confidentissime omnia posuissent, quae ipsam viderent rationem poscere, propius singulis annis ad communem omnium intellegentiam accesserunt. Veluti cum Zeno, Chrysippus, Cleanthes omnino negassent quicquam praeter virtutem et honestatem in bonis, quicquam praeter turpitudinem in vitiis habendum esse, qui secuti sunt concedebant inter reliqua illa tam multa, quae cum tanto studii ardore ab hominibus appeterentur, esse tamen, quae aliquam praeberent aut bonorum aut malorum similitudinem. Cum igitur antea omnia illa, quae tantas in hominum animis turbas efficiunt, media vocavissent taliaque, quae utrum haberes necne nihil interesset (ἀδιάφορα), tria posteriores mediorum statuebant genera, ita ut inter secundae quasi notae bona et mala vere proprieque quae essent media ponerent, quae graece vocabant καθάπαξ ἀδιάφορα. Haec autem talia definiebant, ut non solum neque appetenda neque fugienda dicerent esse (τὰ μήτε αἱρετὰ μήτε φευκτά), sed ut ne esset quidem, cur aut eligeres aut vitares, quia omnino nullam haberent aut ἀξίαν aut ἀπαξίαν. Qualia quae fuerint, si nobiscum reputamus imprimisque si quibus ipsi exemplis illud vere mediorum genus illustraverint, respicimus, revera philosophiae opera apparet non opus esse, ut talia utrum habeas, an non habeas nihil interesse intellegatur. Haec tamen vulgaribus opinionibus concedendo ipsum doctrinae suae labefactaverunt fundamentum tantaque erat illa mutatio, ut quilibet statim videre debuerit, nisi summa definiendi subtilitate et quibusdam quasi novorum verborum usi monstris (illa enim quasi bona et quasi mala vocabant προηγμένα et ἀποπροηγμένα) callide dissimulavissent a prisca doctrinae illius omnia humana subter se posita iudicantis severitate se descivisse.

Ac ne inconcussam illam quidem sapientis sui firmitatem (ἀπάθειαν) diu retinebant. Quamquam ne posteriores quidem Stoici cum Aristotele umquam dicunt utiliter

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nobis affectus a natura datos esse salutaremque esse affectuum mediocritatem — hoc enim cum dicebat, nihil aliud illum respondebat commendare, quam ut modice insaniremus modiceque aegrotaremus; nullam autem mediocritatem morbi salutarem aut utilem esse — tamen exstincto primo divinae illius praestantiae, quam Zeno commentus erat, ardore vitaque et ipsa veritate cotidie quasi monente Stoici quoque confitebantur vel in sapientis animo esse quasdam affectuum similitudines, quae tamen hoc differrent a veris affectibus, quod non essent aegrotationes (ἀρρωστήματα) aut commotiones rationi aperte contrariae (ἄλογοι ἐπάρσεις). Ipsos anim affectus cum a iudicii repeterent erroribus in falsisque de bonis malisve aut futuris aut praesentibus ponerent opinionibus (ὑπάρχειν ἐφ' αἱρετῷ ἢ φευκτικῷ δοκοῦντι), sapienti suo non poterant tribuere, sed pro metu ei dabant cautionem (εὐλάβειαν), pro laetitia, quae est ἡδονή quaeque est gestiens, effrenata, exsultans, ei dabant gaudium (χαράν), pro cupiditate rectae voluntatis appetitum (βούλησιν). Quae quamquam suo iure putandi sunt mutavisse, tamen ne illud quidem dubium est, quin humanis sic indulgendo opinionibus proprios illa doctrina, quos olim cum liberalissima virtutis ostentatione prae se tulerat, sapientiae altius exaggeratae amiserit colores. Plane cum primum Stoici dixissent mirabilia totoque, ut aiunt, caelo ab eis, quae etiamtum audita erant, abhorrentia, per multas mox ea dicebant contortiones, quorum similia a sanis omnium aetatum scriptoribus dicta sunt permulta. Possum alias illius doctrinae afferre mitigationes [1]), sed mitto ut a re proposita alienas. Neque vero hac eos potissimum in illa re puto ductos esse ratione, ut placita sua ad vitae usus magis apta redderent, sed insita quadam fit mentis humanae necessitate, ut quaecumque nimia sunt in opinionibus, quamvis sit magna primi auctoris confidentia, serius ocius defervescant ad mediaeque illius sanitatis normam redigantur.

Neque vero ob id putandum est inutiles fuisse sublimes primorum Stoicorum errores. Annon illa virtutis honestatisque iactatione diu est impeditum, ne vulgarium utilitatum defensores in philosophiae regno quasi rerum possent potiri? Fortius, inquam, quam pro humana condicione aliquamdiu luctandum erat, ut ille humanitatis, ne dicam divinitatis, sensus altas posset in animis radices agere. Periculo autem remoto, cum nulla iam argumentandi atque persuadendi pravitate posset effici, ut honestatis iustitiaeque iura in libris quidem docentium migrarentur, nihil profecto iam opus erat istis Stoicorum tragoediis omnia pleniore ore dicentium atque deos facientium ex hominibus. Tantum autem abest, ut Stoicorum doctrinam ob id ut immaturam a veritateque alienam censeam ridendam esse, ut contra illos philosophos negem quicquam de genere humano meruisse planeque dicam docuisse inania, quorum placita nullas eiusmodi subierint mutationes. Fluviorum hi quidem similes sunt in mediis arenis exarescentium neque ad mare, quo fas est

[1]) Cf. Zeller, Philosophie d. Griechen III a, p. 237—252.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ire fluvios, pervenientium. Est enim sapientiae humanae quasi quidam oceanus, in quem omnes cognitionis fontes, rivuli, flumina coniciuntur. Quo quae ne post longos quidem errores pervenerunt, ea frustra fuisse et dicta esse putandum est. Varia autem cum in unum coeunt, temperatum quiddam nascitur nullaque in re veritatem excedens. Quid igitur mirum, quod Ciceronis iam aetate multi dicebant non universa re et tota sententia, sed verbis Stoicos dissidere ab Academicis et Peripateticis. Veteres illos, Speusippum, Aristotelem, Xenocratem, Polemonem, Theophrastum satis et copiose et eleganter habuisse constitutam disciplinam, ita ut non esset causa Zenoni, cum Polemonem audivisset, cur et ab eo ipso et a superioribus dissideret novamque disciplinam conderet (Cicero, de finibus IV, 1—3). Talia Cicero cotidie audiebat a Philone Larisaeo, quem bello Mithridatico constat Romam venisse, talia multa Athenis audiebat ab Antiocho Ascalonita, qui id ipsum studiosissime agebat, ut omnes graviores philosophos diversis usos verbis eadem docuisse ostenderet. Plurimum vero ad minuendas atque tollendas diversarum in philosophia familiarum diversitates valebant recentiorum, qui vocantur, Academicorum et subtilissimae et uberrimae de omni virtutum officiorumque genere disputationes. De ipsa enim veritate rati desperandum esse Arcesilaus et Carneades quam plurimorum de eadem re collectis opinionibus comparando atque examinando non unius alicuius magistri auctoritati addicti undique sibi sumebant, quae aliqua probabilitatis specie mentes percussissent. Sic iudicium semper cohibendo (ἐπέχειν, ἐφεκτικοί, ἐποχή) neque quicquam temere affirmando contraque nimis certa aliorum placita acerrime impugnando ipsi quoque effecerunt, ut mediae illius diversarumque opinionum coniunctione effectae sapientiae dignitas augeretur. Angusti mox animi videbatur, idque imprimis apud Romanos, inutilium subtilitatum omniumque eorum contemptores, quae scholam redolerent, in unius verba iurare aliorumque omnium, quia non plane cum huius concinebant, inventa obstinate a se arcere.

Atque Senecae quoque sapientiam temperatam fuisse apparet. Nam quamquam praevalet in eius animo gravissima Stoicorum doctrina, tamen multa idem sibi sumpsit et a Platone et ab Aristotele. Illud vero habet novi, quod Epicureas non solum laudat voces atque opiniones, sed aperte de sua Epicuri admiratione gloriatur. Huic enim, quamvis multos Romae quoque haberet sectatores, tamen ab ipsis philosophis quasi aqua et igni interdictum erat. Frustra a Lucretio Caro ut Graiae gentis decus celebratus erat, quia „e tenebris tantis tam clarum extollere lumen“ primus potuisset: ne gravissima quidem sanctissimi carminis commendatione effectum est, ut voluptatis ille, qui vocabatur, patronus in magnorum philosophorum concilium admitteretur. Seneca vero non dubitat laudare idque tam saepe, ut eius libri inter praecipuos Epicureae philosophiae fontes numerandi sint.

Apparet autem id ipsum egisse Senecam, ut falsas de Epicuro opiniones refutaret atque dispelleret. Eo libentius se profitetur Epicuri egregia dicta commemorare, quia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

multos ad illam philosophiam videat confugere spe mala inductos velamentum se ibi vitiorum suorum inventuros esse (epist. 21, 9). Ut multa ei displicent in Stoicis imprimisque in Chrysippo, vaferrimo illo somniorum Stoicorum interprete, quem magnum vocat virum, sed cuius acumen nimis tenue retundatur, ita ut pungat potius quam perforet (de beneficiis I, 4, 1), sic permulta ei omni assensu digna videbantur in Epicureorum libris. Neque quicquam curat illam inconstantiae accusationem. Solere se etiam in aliena castra transire, non tamquam transfugam, sed tamquam exploratorem (epist. 2, 5). Quid mirum quod saepe negat quicquam interesse, a quo quidque dictum sit, dummodo sit bene dictum. Immo quaecumque a quopiam bene sint dicta, sua dicit esse sibique dicta esse. „Quid est", inquit, „quare tu istas Epicuri voces putes esse, non publicas" (epist. 8, 8)? „Epicurus", inquis, „dixit. Quid tibi cum alieno?" „Quod verum est, meum est. Perseverabo Epicurum tibi ingerere, ut isti, qui in verba iurant, nec quid dicatur aestimant, sed a quo, sciant, quae optima sunt, esse communia" (epist. 12, 11). Cui haec leviter et temere dicta videantur? Immo certa sunt magni ingenii indicia, sibi fidentis, omnium nobilitatum auctoritatumque contemptoris, de sola veritate solliciti.

At vero non singulas tantummodo Epicuri laudat sententias, sed non dubitat universae illius doctrinae patrocinium suscipere. Falso plerosque inter Stoicos dicit putare sectam Epicuri flagitiorum magistram esse. Falsa illos decipi specie. Ipse lepidissime viri fortis Epicurum vocat similem stolam induti. „Frons eius ipsa dat locum fabulae et ad malam spem irritat." „Illud dico: male audit, infamis est, et immerito" (de vita beata 13, 2. 3). Neque illius aetatis luxuriam a perniciosissima ista voluptatis laudatione repetit. Non ab Epicuro impulsos istos luxuriari, sed vitiis deditos luxuriam suam in philosophiae sinu abscondere et eo concurrere, ubi audiant laudari voluptatem neque aestimare, voluptas illa Epicuri, quam sobria ac sicca sit, sed ad nomen ipsum advolare quaerentes libidinibus suis patrocinium aliquod ac velamentum (de vita beata 12, 5). Perspexit enim Seneca, quam sit varia ac dubia voluptatis natura. Talem igitur Epicuri philosophiam describit, ut honesta dicat praecepta intra latere, quod corrumpat apparere. Falsas temereque conceptas plerorumque de Epicuro opiniones impugnans his verbis quasi summam facit: „In ea quidem ipsa sententia sum, invitis hoc nostris popularibus dicam, sancta Epicurum et recta praecipere et, si propius accesseris, tristia: voluptas enim illa ad parvum et exile rovocatur et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati: iubet illam parere naturae" (de vita beata 13). Singulas Epicuri voces alii quoque tum laudabant eoque libentius, quia mirum esset fortiter aliquid dici ab homine mollitiam professo. His Seneca respondet apud se Epicurum esse etiam fortem, licet manuleatus sit (epist. 33, 2).

Non mihi in animo est singula Senecae de Epicuro testimonia colligere. Sunt enim collecta a Frid. Haaseo in indice rerum memorabilium, quam editioni suae adiecit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

amplissimum. Illud potius Senecae usus exemplo demonstraturus sum, quam rigidissima illa Zenonis doctrina, si falsis verborum te non decipi patiare velamentis, habeat multa cum Epicuri communia. Mirabiliter autem accidit, ut qui ut mollissimus, ut inferioris ordinis philosophus illoque contubernio non dignus a philosophorum de summis rebus deliberationibus diutissime exclusus fuerat, a Seneca quasi in integrum restitueretur, a quo ipsi Stoicae sectae conditores vincebantur et austeritate et eloquentia.

Ac primum quidem hoc monendum est, plane Senecam abhorruisse ab illa et Stoicorum et Epicureorum obstinatione nihil praeter sua probantium aut admirantium. Ad omnes audiendos semper paratus est atque etiam apertis verbis profitetur nolle se ita Stoicum esse, ut veritatem ab aliarum sectarum philosophis inventam atque oblatam respuat. Immo vero ineptum ei videtur quaerere, a quo quid dictum sit, hoc unum putat interesse examinare, num sit recte dictum. Multorum vult hereditatem adire. Sibi ista omnia acquisita, sibi laborata esse. Sed ut bonum decet patremfamiliae, suum putat ampliora facere, quae acceperit, ut maior aliquando illa hereditas a se ad posteros possit transire. „Multum adhuc restat operis multumque restabit nec ulli nato post mille saecula praecludetur occasio aliquid adhuc adiciendi“ (epist. 64). Hoc ipsum proprium habet otiosa illa sapientis vita, quod omne aevum suo adicit sibique putat parta esse, quaecumque a superiorum temporum philosophis inventa sint. „Nisi ingratissimi sumus, illi clarissimi sacrarum opinionum conditores nobis nati sunt, nobis vitam praeparaverunt. Ad res pulcherrimas ex tenebris ad lucem erutas alieno labore deducimur. Nullo nobis saeculo interdictum est, in omnia admittimur. Disputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, cum Epicuro quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere“ (de brevit. vit. 14, 1. 2). „Cum optimo quoque sum: ad illos, in quocumque loco, in quocumque saeculo fuerunt, animum meum mitto“ (epist. 62, 2). Non solum Stoicos, sed omnes sapientiae inventores praeceptores vocat ac paedagogos generis humani, quibus summam non semel dicit deberi venerationem (epist. 64, 9; 89, 13). Quin etiam factiosorum ei videtur semper unius sequi sententiam. Miranti amico de illis Epicuri laudationibus: „Quid agis Seneca? deseris partes?“ respondet hanc se sibi non dixisse legem, ne quicquam umquam contra dicta Zenonis Chrysippive committeret. Veritatem nondum inventam esse. Non igitur certis Stoicorum decretis se addixit et consecravit, sed vult „quaerere veritatem cum eis ipsis, qui docent“ (de otio 1, 4; 3, 1).

Videamus igitur, qualis Senecae visa sit vitae perfectio atque absolutio. Eo enim tendebant omnia, quaecumque veteres philosophabantur: non ingenii quandam delectationem liberalem sibi sperabant a philosophia, sed malorum dolorumque remedia certaque ad vitam formandam atque regendam praecepta. Cognitionem igitur aliquo modo semper volebant fructuosam esse. Quod quamquam pauci inter veterum philosophos ab hac quasi regula desciverunt, tamen nemo cum maiore constantia hunc tenuit cursum, quam ipse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ille Epicurus, qui inconstantiae saepe accusatus est. Sic enim definiebat philosophiam, ut diceret ἐνέργειαν εἶναι λόγοις καὶ διαλογισμοῖς τὸν εὐδαίμονα βίον περιποιοῦσαν, negabatque, ut saepe scriptum videmus apud Ciceronem, ullam veram esse eruditionem nisi quae beatae vitae disciplinam adiuvaret. Audacter autem statuebat, quae summo huic placito consequentia viderentur. Veluti poesim mendacii, ut Plato, plenam vocabat, nullam solidam inde capi utilitatem omnemque puerilem esse hanc delectationem. Nihil tribuebat ne musicorum, astrologorum, geometrarum quidem studiis; incerta esse ista omnia, et si vera essent, nihil afferre, quo iucundius viveremus. Sic denique concludebat, nihil opus esse eum, philosophus qui futurus esset, scire litteras. Permagni vero faciebat naturae cognitionem. Miseros enim esse, qui superstitionis terroribus continuo agitarentur. Veras rerum causas inveniendo certissime dispelli formidines sedatosque sperabat fore animos omnium rerum occultarum ignoratione sublata. Hinc repetendum est, quod omnino neglegebat universam cogitandi rationem neque quicquam tribuebat istis partiendi aut definiendi subtilitatibus. Ob id ipsum, quia sine illa dialecticorum elegantia omnia tractaverit, nihil umquam via et ratione quaesiverit, communi omnium intellegentiae se semper accommodaverit, Cicero iterum et saepius dicit tam multos eum habuisse sectatores. Faciles enim eius philosophia aditus habebat in ipsaque quasi aedificii fronte late lucens voluptatis nomen scriptum erat.

Atque Seneca quoque cum tanta et contemptione et indignatione contra doctam illam supervacua quaerentium et scientium eruditionem disputat, ut ipsum Epicurum tibi videare audire. Quamquam in septem illis naturalium quaestionum libris ipse subtilem pro illis temporibus se praestat causarum exploratorem, tamen hoc habet persuasissimum, quo quid maiorem habeat vim ad mores formandos, ad vitia domanda, ad virtutes excitandas, eo philosophorum quoque studio dignius esse. De caelestium rerum notitia gloriantibus, ut Epicurus, respondet: „Hoc scire quid proderit?“ (epist. 88, 14). Plus scire velle quam sit satis, intemperantiae quoddam ei genus videtur. Talia ei potissimum videbantur grammaticorum i. e. philologorum studia pleraque omnia. Irridet Didymum, Apionem grammaticos, qui tam multa supervacua scripserint, ut vel qui ista legerint, miseratione ei digni videantur. Quaerere istos de patria Homeri, uter maior aetate fuerit, Homerus an Hesiodus, de Aeneae matre, magno temporis impendio computare, quantum temporis inter Orphea intersit et Homerum. Tales Aristarchi quoque esse „ineptias, quibus aliena carmina compinxisset“. At aetatem istos in syllabis conterere eaque docere, quae essent dediscenda, si scires. „I nunc et longam esse vitam nega.“ (epist. 88, 36–40). Nimis magno ei videtur constare laus illa hominis litterati. „Simus hoc titulo rusticiore contenti: o virum bonum.“ Cum illiberali illa Epicuri contemptione contra liberales disputat artes, immo vero negat in numerum liberalium artium recipiendos esse pictores, statuarios, marmorarios reliquosque luxuriae ministros (epist. 88, 18). Unum studium vere

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

liberale esse, quod liberum faciat, philosophiae. Cetera esse pusilla et puerilia. Nihil ad nos pertinere Ulixi istos errores; illud potius efficiendum esse, ne nos semper erremus, ne nostri cotidie animi tempestatibus iactentur. „Hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo uxorem, quomodo patrem, quomodo ad haec tam honesta vel naufragus enavigem“ (epist. 88, 7). Ac non magis ei ad rem pertinere videntur musicorum studia. „Fac potius, quomodo animus secum meus consonet nec consilia mea discrepent“ (epist. 88, 9). Eis tamen liberalium artium studiis aliquantum tribuit, quae, si minus ipsam dent virtutem, tamen animum ad accipiendam virtutem praeparent (epist. 88, 20).

Neque minus multa philosophorum quoque libros conqueritur habere supervacua. Tales enim ei, ut Epicuro, videntur definitiones, partitiones, dialecticae illae probandi, refellendi, argumentandi subtilitates. Quid quod ne ipsi quidem parcit Zenoni, fortissimae ac sanctissimae illius disciplinae conditori? (epist. 83, 9). Graecas istas vocat ineptias, quae nihil valeant contra mortem ceteraque portenta, quae philosophum decet domare. Captiosa qui verba componant et interrogatiunculas nectant, similiter dicit facere ac si quis subula velit leonem excipere (epist. 82, 23. 24). Argute qui disserant, philosophiam illos dicit in „angustias ex sua maiestate detrahere“ (epist. 102. 20). Hoc est latrunculis ludere, in supervacuis sublilitatem terere. Non facere bonos ista, sed doctos. Apertiorem rem esse sapere, immo simpliciorem. Litterarum quoque intemperantiae aequales suos accusat. „Non vitae, sed scholae discimus“ (epist. 106, 11. 12). Quae philosophia fuerit, eam alio loco queritur factam philologiam esse (epist. 108, 23). Graviter eos vituperat, qui philosophis legendis atque audiendis animos potius velint delectare. Non enim oblectamentum esse philosophiam, sed remedium (epist. 117, 33). Omnem, non aliter atque ipse Epicurus, auditionem philosophorum lectionemque ad propositum beatae vitae dicit trahendam esse (epist. 108, 35). Ad vitae usus, quae legerimus, esse conferenda; quae verba apud illos fuerint, mox opera debere fieri. Multis enim tum philosophorum scholae diversoria otii erant. Non tam id agebant, ut aliqua illo loco vitia deponerent aliquamve legem vitae acciperent, qua mores suos exigerent, sed ut oblectamento aurium perfruerentur (epist. 108, 6).

Summam vero historiae historicorumque prae se fert contemptionem. Ad id, quod vitae nostrae propositum est, omnino non ei videtur pertinere nosse magnorum, qui vocantur, virorum res gestas et legere atque componere, quae et singuli et universi populi passi ausique sint. Tristissima atque nihil profutura historici ei videntur praebere spectacula. „Quanto satius est sua mala exstinguere quam aliena posteris tradere?“ (natur. quaest. III, praef. 5). Ita non admiratur Philippi aut magni Alexandri res gestas, ut latrones vocet atque mortalium pestes non minus perniciosas quam inundationes atque conflagrationes. Illud profecto nullam habet admirationem, quod de Hannibale non loquitur cum illo hominis Romani odio — neque enim tale externorum regum aut ducum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

odium decet philosophum ac ne historicum quidem —, sed simpliciter despicit et contemnit agitatissimae ambitiosorum vitae turbas ac ne acre illud quidem Hannibalis admiratur in Romanos odium, quod „alta mente“ usque ad extremum vitae diem „repostum“ manebat. Negat dignum esse scitu, quemadmodum ille non desierit omnibus angulis bellum senex quaerere: „adeo sine patria pati poterat, sine hoste non poterat.“ Deorum Seneca mavult opera celebrari quam regum satiusque dicit esse quaerere, quid faciendum sit quam quid sit factum. Accedit, quod incertissimarum historia rerum praebet imagines. Neque rationem legisque illam necessitatem in rerum publicarum vicissitudinibus regnorumque mutationibus agnoscit, sed casus quoddam arbitrium saevaque dei ludibria. Tales enim describit illas mutationes, ut aperte negare videatur praecipue caras esse deis hominum illas consociationes [1]). Nova saepe ex infimo regna coorta esse, vetera imperia levis-

---

[1]) Cicero contra sic in somnio Scipionis (5): „Nihil est illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur.“ Atque adeo immortalitatis praemio animos afficit optimis de salute patriae curis agitatos et exercitatos (21). Sic ne Platoni quidem ullum maius aut pulchrius videtur iustitiae atque prudentiae exercendae theatrum quam civitatis: Πολὺ δὲ μεγίστη καὶ καλλίστη τῆς φρονήσεως ἡ περὶ τὰς τῶν πόλεών τε καὶ οἰκήσεων διακοσμήσεις (Symposion 209 A). Sed apud hunc quidem multa inveniuntur in contrariam vergentia partem. Platoni enim apparet rempublicam ob id praecipue necessariam visam esse, quia in hac sola ratio atque virtus posset excoli. Huic enim virtuti quasi deterioris notae, quam quis naturae habet beneficio (θείᾳ μοίρᾳ), alteram illam perfectam, ut Socraticus, opponit, quae solido scientiae fundamento innitatur. Naturalis igitur aureae aetatis bonitas cum omnium rerum abundantia coniuncta, qualem poetae commenti sunt, non perfectae civitatis imaginem ei videbatur praebere atque in altero reipublicae libro (372) etiam iocatur de istorum hominum felicitatibus (εὐωχήσονται αὐτοί τε καὶ τὰ παιδία, ἐπιπίνοντες τοῦ οἴνου, ἐστεφανωμένοι καὶ ὑμνοῦντες τοὺς θεούς, ἡδέως ξυνόντες ἀλλήλοις, οὐχ ὑπὲρ τὴν οὐσίαν ποιούμενοι τοὺς παῖδας, εὐλαβούμενοι πενίαν ἢ πόλεμον). Ut illa virtutis scientia certaque possessio possit parari, educatione opus est (θεραπείᾳ ψυχῆς), quam negat posse esse extra rempublicam. Hanc summam dicit eius esse curam, qui ad gubernacula reipublicae sedeat (Gorgias 464 B, 515 C). Quam quoniam Themistocles, Cimon, Pericles neglexissent, malorum potius putandos esse Atheniensibus auctores exstitisse (Gorgias 519 A). Si quaerimus, num Platoni respublica sapientis sui studio digna sit visa, vulgares civitates tot tamque foedarum turbarum sunt plenae, ut sapiens plane desperans se unum quicquam posse contra tantos furores omne aliorum sit vitaturus commercium et puram securamque sibi vivens malit vivere vitam (Respubl. VI, 496, D: Ὥσπερ εἰς θηρία ἄνθρωπος ἐμπεσών, οὔτε ξυναδικεῖν ἐθέλων οὔτε ἱκανὸς ὢν εἷς πᾶσιν ἀγρίοις ἀντέχειν, πρίν τε τὴν πόλιν ἢ φίλους ὀνῆσαι προαπολόμενος ἀνωφελὴς αὑτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις ἂν γένοιτο, ταῦτα πάντα λογισμῷ λαβὼν ἡσυχίαν ἔχων καὶ τὰ αὑτοῦ πράττων, οἷον ἐν χειμῶνι κονιορτοῦ καὶ ζάλης ὑπὸ πνεύματος φερομένου ὑπὸ τειχίον ἀποστάς, ὁρῶν τοὺς ἄλλους καταπιμπλαμένους ἀνομίας ἀγαπᾷ, εἴ πῃ αὐτὸς καθαρὸς ἀδικίας τε καὶ ἀνοσίων ἔργων τόν τε ἐνθάδε βίον βιώσεται καὶ τὴν ἀπαλλαγὴν αὐτοῦ μετὰ καλῆς ἐλπίδος ἵλεώς τε καὶ εὐμενὴς ἀπαλλάξεται). Aperte negat earum, quae tum fuissent, urbium ullam sapiente dignam fuisse (497 B). Semper hospes atque alienus in media civium societate sibi videbitur: Τὸ σῶμα μόνον ἐν τῇ πόλει κεῖται αὐτοῦ καὶ ἐπιδημεῖ, ἡ δὲ διάνοια, ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρὰ καὶ οὐδέν ... πᾶσαν πάντῃ φύσιν ἐρευνωμένη τῶν ὄντων ἑκάστου, εἰς τῶν ἐγγὺς οὐδὲν αὐτὴν συγκαθιεῖσα (Theaet. 173 E). Thaletis igitur lepide dicit philosophos omnes esse similes, qui dum caelum spectat, neglectis eis, quae ante pedes erant, in puteum incidit. De universa semper omnium rerum natura secum meditans singula singulosque philosophus ne videt quidem: Τῷ γὰρ ὄντι τὸν τοιοῦτον ὁ μὲν πλησίον καὶ ὁ γείτων λέληθεν,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

simo saepe casu impulsa in ipso flore cecidisse. „Nunc cummaxime deus exstruit alia, alia submittit nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habitura reliquias iactat.“ Rectorem universi Seneca vocat deum (de vita beata 8, 4), sed publicae vitae casus calamitatesque ita non eum censet curare, ut saevo contra cum odio istas ambitionis contentiones, cum impedire possit, adspicere atque hominum inania studiosissime sectantium spectaculo delectari videatur. Quae de ea re imprimis in illis naturalium quaestionum libris (I, prol., III, prol.) disputat, tam sunt et tristia et sublimia, ut Lucretium Carum putes scripsisse. „O quam res est contempta homo“, inquit, „nisi supra humana surrexerit.“ „Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro et igne dividitur? o quam ridiculi sunt mortalium termini!“ „Si quis formicis det intellectum hominis, nonne et illae unam aream in multas provincias divident?“ Qui in interiorem naturae sinum penetraverit et ad illa vere magna se sustulerit, illum Seneca negat cum admiratione posse spectare exercituum subrectis euntium vexillis splendorem itaque incedentium, quasi magnum aliquid agatur. „Formicarum iste discursus est in angusto laborantium“ (nat. quaest. I, prol.). Catoni, virtutum illi vivae imagini (de tranq. an. 16, 1), quo quemquam negat umquam sanctiorem fuisse (ad Marciam 22, 3), qui perfectum Stoicae virtutis exstitit exemplar et Phoenix est illa, quae „semel anno quingentesimo nascitur“ (epist. 14, 13), Catoni, inquam, paene irascitur, quod illam inter Caesarem et Pompeium contentionem ad se pertinere arbitratus sit. Neque aliter loquitur de M. Bruto (de benef. II, 20).

οὐ μόνον ὅ τι πράττει, ἀλλ' ὀλίγου καὶ εἰ ἄνθρωπός ἐστιν ἤ τι ἄλλο θρέμμα· Τί δέ ποτ' ἐστὶν ἄνθρωπος καὶ τί τῇ τοιαύτῃ φύσει προσήκει διάφορον τῶν ἄλλων ποιεῖν ἢ πάσχειν, ζητεῖ τε καὶ πράγματ' ἔχει διερευνώμενος. A philosophi enim natura alienissimae sunt omnes administrandi curae semperque caelum versus animus eius avolat (Resp. VII, 517 C: Οὐκ ἐθέλουσι τὰ τῶν ἀνθρώπων πράττειν, ἀλλ' ἄνω ἀεὶ ἐπείγονται αὐτῶν αἱ ψυχαὶ διατρίβειν). Proprium autem hoc in eius animo viget desiderium, ut ideas veritatemque velit cognoscere. Haec est illa τοῦ ὄντος θήρα, in qua corporis vinculis dicit nos impediri (Phaedon 66 C). Solem qui viderunt, nolunt in spelunca vivere (Resp. VII) omnemque ibi et laborum et honorum detrectant societatem (519 D: Μὴ ἐθέλειν πάλιν καταβαίνειν παρ' ἐκείνους τοὺς δεσμώτας μηδὲ μετέχειν τῶν παρ' ἐκείνοις πόνων τε καὶ τιμῶν). At soli philosophi sciunt, quid deceat rempublicam. Miseriarum igitur Plato neque singulis dicit neque universis civitatibus finem fore, nisi aut reges facti sint philosophi aut philosophi reges (Resp. I, 473 D). Soli enim sunt periti διὰ τὸ τάληθῆ ἑωρακέναι καλῶν τε καὶ δικαίων καὶ ἀγαθῶν πέρι. Quod quoniam pro sua quemque parte cives, inter quos natus est, iuvare decet — communis enim omnium civium urbs est mater et quasi procreatrix —, cogendi sunt, ut quam soli tenent scientiam relicta illa idearum contemplatione, in qua sola sibi placent, ad urbis suae utilitates conferant. Quod cum Platoni non omnium simul philosophorum opera ad regendam rempublicam opus videatur, certis vult vicibus modo hos modo illos huc descendere (Resp. VII, 520 C: Καταβατέον ἐν μέρει ἑκάστῳ εἰς τὴν ἄλλων ξυνοίκησιν καὶ ξυνεθιστέον τὰ σκοτεινὰ θεάσασθαι). Dixerit quispiam de vulgaribus haec omnia dici civitatibus, non de perfecta illa, quam Plato commentus sit (cf. Zeller, Philosophie d. Griechen II a, p. 557). At ne hanc quidem Platonis ille sapiens vero amore poterit amplecti, quippe cuius mens semper feratur ad ideas et procul ab hac terra avolet ad τὸν νοητόν, quem Plato vocat, τόπον. Idearum quamquam in illa perfecta civitate videbit imagines, tamen totum semper se malet idearum consecrare cognitioni.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Usque eo domicilii sui angustias contemnit, ut nihil umquam glorietur de insigni ipsius in republica auctoritate itaque semper loquatur, ut hominem haec putes disputare a civilis vitae negotiis longe longeque remotum. Quae historici narrant, ea omnia secundum Senecam nihil pertinent ad homines vere de salute sua sollicitos eoque sunt funestiora, quia ex parvis magna faciendo immeritamque eis, quae vilia sunt, maiestatem tribuendo iudicia corrumpant. Praecipuum ei contra hoc in rebus humanis videtur, ut universi fiamus spectatores, ut vitia domemus, qua ullam negat victoriam maiorem esse, ut animum contra calamitates firmemus, ut puras ad caelum manus possimus extollere, ne mala admittamus consilia aut nostrarum cupiditatum gravissimam serviamus servitutem; hominis denique semet ipsum vincentis magnitudinem potiorem iudicat esse quam res praeclarissime in bello gestas. „Multum fuit Carthaginem vincere, sed amplius mortem“ (epist. 24, 10).

Apparet igitur tantum in Seneca viguisse mentis formandae et ad vere magna ac sublimia extollendae studium, ut illam civilem societatem, quae sanctior etiam videbatur veteribus quam nobis hodie, nullis umquam laudibus ornaverit neque ullo quicquam loco dicat, quo patriae ille amor commendari videatur. In qua re a plerisque dissentit, qui principes apud veteres exstiterunt in philosophia, mirabiliter consentit cum Epicuro. Atque Aristoteli quidem cur aliter de reipublicae et origine et quasi officio visum sit, facile intellegitur. Neque enim is erat, qui caelum et sublimia captans umquam humana ac terrestria neglegeret. Cui non audita est illa eius definitio ἄνθρωπον ζῷον πολιτικόν esse? Quod cum persuasum habeat interiore compulsos naturae suae necessitate mortales olim civiles societates inisse atque inituros etiam fuisse, si mutuo inter se auxilio possent carere (διὸ καὶ μηδὲν δεόμενοι τῆς παρ' ἀλλήλων βοηθείας οὐκ ἔλαττον ὀρέγονται τοῦ συζῆν 1278, b, 19), publica quoque instituta examinare de publicaeque vitae eversionibus atque vicissitudinibus, quales sint a quibusque sint causis atque rationibus repetendae, a philosophiae dignitate non alienum putat quaerere. Nam cum hodie ut summum proponatur reipublicae, ut se tueatur, opes suas augeat, utilitatibus civium consulat, hoc summum ille vult eos, qui ad gubernacula sedent, sibi sequendum putare, ut bene se habeant civium animi. Fieri enim civitates, ut vivi possit expletis necessitatis desideriis; cum vero initae sint, altius illud debere appeti, ut cives humani boni i. e. virtutis rationisque participes fiant (γιγνομένη μὲν τοῦ ζῆν ἕνεκα, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν). Hoc enim est τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθόν. Mitto Platonem, qui quamquam mentes a fallacibus sensuum simulacris revocabat sublimesque idearum regiones iubebat percurrere, tamen omnia, quae meditando invenerat, reipublicae desideriis accommodabat in perfecta demum civitate homines ratus propriam suae naturae perfectionem posse adipisci.

Dubia concedo Stoicorum fuisse de reipublicae dignitate iudicia de eaque re mox videbimus. Epicurum vero apertum constat semper fuisse privatae vitae laudatorem neque quicquam aliud sibi suisque a republica sperasse atque optasse, quam ut ipsorum vitam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tueretur. Quam cum securiorem sperarent fore sub regibus, regiae dignitatis Epicurei erant laudatores. Ceteroquin in qualibet aeque sibi placebant civitate, dummodo illam securitatem praestaret, quam tanti faciebant. Sic Seneca quoque rempublicam tenentibus nihil dicit a sapiente timendum esse; numquam illum potentium iras provocaturum esse, immo declinaturum, non aliter quam in navigando procellam (epist. 14, 7). Optimum Seneca quoque illum M. Brutum vituperans civitatis statum dicit esse sub rege iusto (de benef. II, 20, 2). Quid quod ipsam naturam affirmat commentam esse regem (de clem. I, 19, 2). Si quicquam igitur in his video, Senecae haec cum Epicuro communis erat opinio, ut rempublicam plane necessariam putaret ad singulorum vitam tuendam ac sustentandam negaretque vivi posse extra rempublicam, ita tamen ut non ita magnum sibi inde speraret subsidium ad humanae naturae quasi maturandam vim atque perfectionem. Civitatum et conditores et administratores quasi rudia praebent aedificia, quae imbres arceant aestusque ac frigoris salubre atque iucundum aperiant perfugium, sed opus illud humanitatis mancum atque incohatum perficitur demum a philosophia. Externas igitur et Epicureis et Senecae respublica rationis excolendae videbatur praestare condiciones.

Utrique, et Stoici et Epicurei, philosophiam vitae artem definiebant neque mera cognoscendi cupiditate adducti aut otii oblectandi causa philosophabantur, sed ut invenirent, quo vitae cursum dirigerent haberentque, ut ait Horatius, quae mox depromere possent. Operae igitur eis semper pretium visum est ex tanta vitarum diversitate eam caute eligere, quae certissimam praeberet spem bene vivendi atque sapiente esset dignissima. In qua re hoc potissimum quaerebant, utrum sapientem deceret ad rempublicam accedere, an non deceret. Qui locus cum Senecae quoque gravissimus videatur cumque in nulla re magis appareat, quam prope ad illam vitae praestantiam, qualem Epicurus descripsit, accesserit, profecto est dignissimus, de quo plura dicantur.

Brevissima ipse Seneca formula illam opinionum diversitatem illustrat: „Epicurus ait: „Non accedet ad rempublicam sapiens, nisi si quid intervenerit.“ Zeno ait: „Accedet ad rempublicam, nisi si quid impedierit“ (de otio 3, 2). Zeno igitur suis publicam commendabat vitam, quia vastiorem virtuti praebet campum, ita ut liberius possit excurrere; Epicurus contra privatam vitam laudabat ut securiorem certioremque beatitudinis non turbatae spem praebentem. Ut Zeno igitur suadebat sectatoribus suis, ut civilibus se immergerent undis „agilesque“ fierent, ita suos Epicurus vitam iubebat abdere. Hoc est illud λάθε βιώσας. Attamen frequenter repetitae illae opiniones in hominum mentibus mirabiles subierunt mutationes. Simplicius enim quam rectius Zenonis mentem interpretantur, qui nihil eum putant antiquius habuisse quam ut sui magnas vellent in republica agere partes. Immo ipsorum causa, non ipsius reipublicae causa eos iubebat ad rempublicam accedere. Plato quidem atque Aristoteles civilis societatis quandam perfectionem moralem commenti sunt, ad quam efficiendam vel maxime sapientium auxilio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

opus esset; Zeno contra civilem publicamque vitam suis commendabat, non tam de ipsa republica sollicitus, sed ut ad suam illi perfectionem pervenirent. Ac non minus perverse multi illas Epicuri laudationes privatae latentisque vitae ita interpretati sunt, ut inertissimam nihil agentium ac nihil umquam magni animo agitantium quietem eum dicerent laudibus extulisse. Tales Seneca negat esse quod propter canos aut rugas putes diu vixisse: non diu vixisse illos, sed diu fuisse (de brevit. vitae 7, 10). Non habere istos otium, sed iners negotium (l. l. 12, 4). Multum interesse, utrum vita tua otiosa sit an ignava. Malle istos rempublicam suam turbari quam comam. Profecto iniquius de Epicuro iudicant, qui homines de ineptissimis abditae contemptaeque vitae commoditatibus unice sollicitos putant solos ei visos esse beatos. Semper fuerunt, quibus isti veri viderentur vivendi artifices, sed Epicuro longe videbatur secus. Talis erat Servilius Vatia, dives quidam, qui sibi soli semper, ut aiebant, vivens in otio consenuit. Cum reliqui exclamarent: „O Vatia, solus scis vivere", Seneca numquam se dicit Vatia vivo illam villam praeterisse, quin diceret: „Vatia hic situs est." Non sibi illum vixisse, sed ventri, somno, libidini (epist. 55). Haec igitur est illa vita, quam Seneca mortem vocat et hominis vivi sepulturam. Quam si Epicurus laudasset, profecto in magnis philosophis non esset habendus.

Utut est, vitam illi, quam Zeno laudabat, contrariam Epicurus commendare videbatur. Qui satis habeat e longinquo adspexisse, Zenonis illam facile rationem dicat sanctiorem atque humanae naturae praestantia digniorem fuisse. Attamen victrix evasit illa Epicuri. Certe nullam habet admirationem, quod voluptariae vitae rationes semper pluribus probatae sunt, quam vitae austerae atque severae. Sed de falsis his Epicureis non loquor. Veri Epicuri quietem, quamquam minus speciosa est quam honestae Stoicorum actiones, in maiore mox honore apud ipsos quoque Stoicos contendo fuisse. Primus autem inter Stoicos Seneca relictis quasi Zenonis partibus non tamquam explorator in Epicuri castra transibat, sed ut ibi vitae suae collocaret tentorium. Qualem enim ipse describit sapientis vitae imaginem, talis est, ut Epicurus hanc suam esse vitam, si etiamtum in vita fuisset, exclamaturus fuerit. Quod cum Stoici quoque vivendi potius quam cognoscendi rationes vellent tradere, Zenonis doctrinam ab Epicuro victam esse contendo. Nam quam Seneca celebrat vitam Epicuri simillimam longoque intervallo a priscorum Stoicorum principiis seiunctam, eandem fere et nobilissimi, qui mox secuti sunt, Stoici et plerique omnes insequentium aetatum philosophi amplexi sunt. Si igitur philosophus verus est homo, non Zeno, sed Epicurus vidit, quae vita vere sit humana maximeque hominem deceat.

Neque vero tanta cogitandi atque sentiendi in Stoicorum animis mutatio facta esset, nisi in ipsis Zenonis atque Chrysippi principiis illius mutationis quasi fuissent semina. Diu enim illorum doctrina incertum quiddam habebat, ita ut pugnantia saepe poscere viderentur. Modo suadebant, ut publicae se vitae fluctibus sapiens committeret,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

modo cum tanta contemptione de eis loquebantur, qui civitates efficiunt, ut appareret omne tam vilis multitudinis commercium sapientem debuisse vitare. Tam enim excelsam rationis perfectionem excogitabant, ut raro, ne dicam numquam, inveniretur, qui posset putari adeptus esse. Quod cum primum quidem negarent medium esse genus inter perfectum sapientem et stultum, ita ut omnes, qui non ad sapientiae pervenissent perfectionem atque absolutionem, stultis adnumerandi essent, fieri non poterat, quin omne reipublicae capessendae studium in illorum animis exstingueretur. Quis enim velit eorum utilitatibus inservire, quos contemnat quosque ullis philosophiae remediis desperet posse ad sanitatem transduci? Non casu, sed vera ingenii humani necessitate est factum, ut omnes magni philosophi animo fuerint ab illis civitatem administrantium curis atque consiliis alienissimo. Tardius enim ire cogitur, qui eiusmodi negotiis quasi illigatus incedit, illorum vero cogitationes altius evolant longissimeque mox a civitatis, cuius ipsi quoque sunt membra, negotiis recedunt. Quam autem circa nos non videmus perfectionem, eam mentibus nostris insitum est, ut aliquo tamen velimus loco ponere. Sic Stoici quoque, quia illas, quas oculis cernebant civitates, sancto quodam studii ardore parum dignas videbant esse, commenticiam sibi finxerunt civitatem, quam mundanam vocabant. Singula enim quam non habebant praestantiam, eam universo tribuebant mundumque definiebant communem quandam deorum atque hominum civitatem perfectam rationisque plenam. Huic civitati docebant nos nostra omnia debere. Eius enim unumquemque nostrum esse partem. Huic opinioni consequens esse, ut contra rationem atque naturam putandum esset, si unus aliquis sua dubitaret commoda communibus omnium postponere.

Ex his omnibus apparet fatalia quasi errorum semina in ipsis vocibus inesse. Ut enim Epicurus voluptatis voce abusus permultos invenit sectatores ipsius patrocinio indignissimos, ita Stoici quoque civitatem, cum mundum intellegerent, dicendo non solum doctrinae suae tenebras superfuderunt, sed ista verborum fallacia ipsi quoque decepti saepe falsas sibi vivendi leges statuerunt. Ac primum quidem, dum aliqua erat respublica sapientis viri studio digna, Zenonis Romae sectatores non sentiebant fortissimae illius doctrinae conditorem de terrestri illa, quae proprie vocatur, non cogitasse republica. Libertate vero exstincta, cum omnia essent penes unum, publicae quasi vitae viis interclusis intellegi coeptum est vel a Romanis ne privatam quidem vitam omni honore destitutam esse. Mox atrocissima Caligulae, Claudii, Neronis secuta sunt tempora. Tum vero ab optimo quoque intellectum est, quamvis sit patria sancta et venerabilis, tamen sanctissimis humani animi desideriis melius etiam in privatae vitae recessu atque solitudine posse serviri. Tenebris omnia circum tegentibus philosophiae unaque sanctioris religionis sol exortus est. Sic factum est, ut quae sub Zenonis quoque principiis latuerat publicae vitae contemptio, tum palam se ostenderet et quasi in publicum prodiret.

Duas igitur Stoici dicebant esse respublicas, alteram illam, quam diximus munda-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nam, quam Seneca vocat magnam et vere publicam (de otio 4, 1), alteram, cui nos adscripsisset condicio nascendi quaeque non ad omnes pertineret homines, sed ad certos. Quod cum primis Stoicis imprimisque Zenonis Romae sectatoribus nullum aptius virtutisque naturae magis conveniens theatrum visum esset quam illius, in qua quisque natus esset, reipublicae, mox illa animorum facta mutatione virtutis rationisque humanae perfectionem etiam impedire videbatur publicarum rerum studium. „Si quis dicit optimum esse navigare, deinde negat navigandum in eo mari, in quo naufragia fieri soleant et frequenter subitae tempestates sint, quae rectorem in contrarium rapiant: puto hic me vetat navem solvere, cum laudet navigationem“ (de otio 8, 4). Fastidiose quaerentibus Seneca dicit semper defuturam esse rempublicam interrogatque superiorum temporum memoriam perlustrans, ad quam tandem rempublicam sapiens sit accessurus. Nolet accedere ad Atheniensium, in qua Socrates damnatus sit in quaque invidia virtutes opprimantur; nolet accedere ad Carthaginiensium illam tam inhumanam continuisque seditionibus turbatam. Quocumque denique animum converteris, nullam invenies, quae sapientem aut quam sapiens pati possit. Sic igitur colligit: „Quodsi non invenitur illa respublica, quam nobis fingimus, incipit omnibus otium esse necessarium.“ Hoc quidem iam Zeno suis concesserat, ut aut impediente valetudine aut si respublica corruptior esset, quam ut adiuvari posset, sibi viveret sapiens neve niteretur in supervacuum per multos faciens labores, quae tamen nullos effectus essent habitura. Illud vero novum est apud Stoicum Senecam, quod sapientem negat posse invenire rempublicam suis studiis dignam. Nam Zeno inter se pugnantia dicebat. Qui enim stultos vocabat, qui non perfectam adepti essent sapientiam, eum decebat sapientem suum a republica revocare, quia omnino nullam habet probabilitatem ullam illum umquam rempublicam ipso dignam inventurum esse. Cum autem docebat accessurum esse sapientem ad rempublicam, nisi si quid impedivisset, quoniam non de solo valetudinis impedimento cogitandum est, hoc docebat, plerumque accessurum esse, posse tamen accidere, ut propter ingentem malorum vim satius ei videretur non accedere. Quales enim tum erant civitates qualesque videbantur per multa deinceps alia saecula futura esse, dum mortales ipsorum essent similes, Zeno quoque suo sapienti debebat suadere, ut a turbis reipublicae, quae pravitatis et nequitiae semper esset theatrum, viveret remotus. Neque enim ea potuit suadere, quae tamen sapiens sine ulla boni eventus spe esset facturus. Sed vel haec opinio manca fuisset. Sic enim mihi videtur debuisse statuere, fore aliquando perfectam illam civitatem, in qua omnes mortales iustitiae perfectaeque virtutis vinculis coniuncti essent; ad hanc sapientes quoque accessuros esse. Sed quam diu in terris regnaret nequitia atque iniustitia, in otio privataque vita sibi viventes utiliores tamen fore civibus et plus effecturos esse ad illud iustitiae regnum propagandum, quam si mediis se iniecissent fluctibus civilibus. In hanc fere sententiam dictum est illud Senecae (de otio 4, 2): „Huic maiori reipublicae (mundanam illam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

significat) et in otio deservire possumus, immo vero nescio an in otio melius". Vult enim in privatae vitae recessu virtutum nos esse cultores: qui se utilem ceteris efficiat, eum quoque commune agere negotium. „Hoc nempe ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis, si minus, paucis, si minus, proximis, si minus, sibi" (de otio 3, 5). In insana ista hominum ambitione parum tutam fore dicit boni viri simplicitatem atque plus semper futurum esse, quod obstet quam quod succedat. Ob id a foro et publico eum revocat, cum addit in privato quoque magnum animum „laxe se posse explicare." Immo hominum maximas „in seducto" actiones dicit esse. Nam ubicumque vir bonus delituerit atque otium suum absconderit, prodesse volet singulis universisque ingenio, voce, consilio. Neque enim solum is utilis est reipublicae, qui accusandi aut defendendi munere fungitur, aut sententiam in senatu fert de bello aut pace, sed ille quoque „in privato publicum negotium agit, qui iuventutem exhortatur, qui in tanta bonorum praeceptorum inopia virtutem instillat animis, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat ac retrahit" (de tranquillitate animi 3). Civis qui officia amiserit, eum hominis tamen vult exercere. Ob id ipsum Stoicos non unius urbis moenibus se clausisse patriamque sibi mundum professos esse, ut liceret latiorem virtuti campum dare (de tranq. an. 4, 4). Atque ita esse vel Zenonis et Chrysippi exemplo Seneca putat probari. Maiora enim illos egisse, quam si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent, quas non uni eos civitati, sed toti humano generi tulisse. Non segnem fuisse talem vitam, sed plus quietem illorum hominibus profuisse quam aliorum discursus atque sudorem. Multum igitur egisse visos esse, quamvis nihil publice agerent (de otio 6).

Neminem umquam ad conciliandas opiniones contendo aptiorem fuisse quam Senecam. Qua erat animi magnitudine ingeniique et libertate et liberalitate, facile sub alienorum verborum involucris suam agnoscebat opinionem. Multis autem apparet locis id ipsum eum egisse, ut Epicurum, quem magnum atque venerabilem iudicabat fuisse philosophum, iustis meritisque afficeret honoribus. Implacabile conqueritur Stoicos diversa sequentibus odium indixisse titulorumque diversitate deceptos saepe non vidisse eadem dici ab aliis, veluti ab Epicuro, quae ab ipsis. Tria esse genera vitae, inter quae quod sit optimum, quaeri soleat: unum voluptati vacare, alterum contemplationi, tertium actioni. Sed ne Epicurus quidem, „de quo male existimare consensimus, voluptatem inertem probat, sed eam, quam ratione efficit firmam sibi. Ita et haec ipsa voluptaria secta in actu est." (de otio 7).

Videamus igitur omnibus rationibus subductis, quae vita maxime Senecae et sapientem et hominem decere videatur. Profecto non vitam commendat voluptati deditam; nam quae proprie dicitur voluptas, non hominis, sed pecoris bonum vocat (epist. 92, 6). Dissolvere istam et omne robur emollire (epist. 92, 10), enervare et effeminare (epist. 104, 34). Sed negat huius voluptatis Epicurum exstitisse patronum. Voluptates qui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sectentur, non voluptates sibi emere, sed se voluptatibus vendere (de vita beata 14, 3). Epicurus vero cum iudicio qui voluptates sectarentur, illos saepe dicebat dolores voluptati praelaturos esse. Bona non sunt nisi quae diuturna sint nequeantque amitti. Voluptatem autem fragilem esse, brevem, fastidio obiectam, quo avidius hausta sit, eo citius in contrarium recidentem, cuius subinde necesse sit aut paeniteat aut pudeat, in qua nihil sit magnificum aut quod naturam hominis dis proximi deceat (de beneficiis VII, 2, 2).

Remota igitur voluptate contemplatio restat atque actio. Ad utrumque Seneca dicit hominem natum esse. „Natura utrumque facere me voluit, et agere et contemplationi vacare“ (de otio 5). Vulgo sic distinguitur vel ab eis, qui Epicurum non vulgaris istius voluptatis patronum censeant fuisse, ut Stoicos ad strenue fortiterque agendum dicant promptos fuisse, Epicurum secretae contemplationis captum illecebris vitae fugisse onera et negotia. Hominibus est insitum, ut quam rationem videant praevalere, eam augeant reliquaque, quae admixta sunt, temperamenta in dies magis neglegant. Sic efficitur, ut eorum, qui magni in liberalium artium studiis exstiterunt, si e longinquo adspicimus quasi imagines aliorumque potius ducti explicationibus quam nostris ipsorum usi oculis, unum certumque colorem habere videantur. Cum vero propius accessimus ac nostro confisi iudicio eisque, quae saepe ab aliis dicta sunt, ex mente excussis rem ut novam atque integram adspicimus, varium tamen illa vultum ostendere videmus multisque locis alienarum rationum admixtione temperata esse. In principiorum vero contentionibus explicandis posteri semper poetarum illa ratione utuntur removendi atque tollendi omnia, quae propriam eius, cuius naturam describunt, vim turbatura videantur augendique id ipsum, quod illius proprium putatur. Quis dubitet, quin certiora sic omnia fiant atque magis dilucida? Sed ne illud quidem dubium est, quin in opinionum inter se pugnantium explicatione multorum illa ratio errorum causa exstiterit. Omnes enim, quicumque umquam fuerunt philosophi, contemplationi plurimum tribuerunt ac ne Stoici quidem suos ita vitae civiliumque turbarum undis volebant submersos esse, ut numquam inde ad contemplationis serenitatem emergerent. Contra ne Epicurus quidem suos ita volebat in otio torpescere totosve ita defixos esse in contemplatione, ut nihil umquam agerent omniaque et hominis et civis officia detrectarent. Illud vero concedendum est Zenonis et Epicuri doctrinas in contrarias vergere partes, ita ut hic plus tribuat otio atque contemplationi, plus ille actioni suosque malit cum vitae difficultatibus atque periculis luctari quam iacere in otio inconcusso. Atque illud etiam dicere possumus, ad nostras hodie rationes si illorum referimus opiniones, et veriora et sanctiora docuisse Epicurum. Quis enim neget omnes fere omnium aetatum philosophos vere magnos direxisse vitam suam ad illam Epicuri normam? Quid quod ne Stoicorum quidem apud Graecos principes illam, quae Stoicorum vulgo putatur, vitam amplexi sunt. Constat enim Zenonem quoque, Cleanthem, Chrysippum praetulisse expertem publicae privataeque curae tranquillitatem neque voluisse ad rempu-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

blicam accedere (de tranquillit. an. 1, 10. 11). Seneca contra, qui tantis sub Nerone rebus praefuit, potuit gloriari omnibus se in publica vita et hominis et civis officiis cumulate satisfecisse. Num vero gloriatur? Immo studiosissime id lectores suos videtur velle celare eaque potius dicit, quae verum illum quoque Epicurum, qualis doctis hominibus debet obversari, assensu suo comprobaturum fuisse admodum est probabile. Vitare amicum turbam iubet, secedere, conscientia, ut ait, esse contentum. Miranti illi, ubi sint illa Stoicorum praecepta, quae imperent in actu mori, „In hoc", inquit, „me recondidi et fores clausi, ut prodesse pluribus possem . . . posterorum negotium ago. Illis aliqua, quae possint prodesse, conscribo. Salutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando. Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando, aliis monstro" (epist. 8). Multo autem tum graviora in secreto ac philosopho digniora sibi videbatur agere quam olim, cum ad gubernacula reipublicae sederet plenaque usus apud Neronem auctoritate gravissimas res suo regeret consilio atque arbitrio.

Videmus in his Epicuri illam, quam laudabat, vitae perfectionem felicissime cum Stoicorum mente, qualis quidem fuit, antequam Romanos indueret colores, coniunctam. Non semel Seneca vere grandibus usus verbis illamque Lucreti Cari paene aequans elationem absolutae beatitudinis, qualis quidem vero Epicuro videbatur, describit imaginem. Veluti in illis, quae ad Gallionem scripsit de vita beata (4, 5): „Exeundum ad libertatem est. Hanc non alia res tribuit quam fortunae neglegentia: tum illud orietur inaestimabile bonum, quies mentis in tuto collocata et sublimitas expulsisque erroribus ex cognitione veri gaudium grande et immotum comitasque et diffusio animi, quibus delectabitur non ut bonis, sed ut ex bono suo ortis." Atque etiam magis appareret, quam ipse Epicuri praeceptis convenientem commendaret vitam, si in opinionibus impugnandis atque refutandis falsos istos, quos contemnebat, Epicuri discipulos ab ipso semper Epicuro seiunxisset. Neque enim Seneca doctrinae sibi laudem appetebat. A quo quidque dictum esset, unice securus solas examinabat sententias. Frigidae igitur atque ineptae videatur diligentiae esse illius de superiorum temporum philosophis iudicia ad illius, quae hodie doctum hominem putatur decere, subtilitatis normam exigere. Epicurum ipsum dicebat sancta docuisse vitamque proposuisse homine dignissimam. In qua cum sit opinione, tamen in voluptariae istius doctrinae refutatione, a cuius turpitudine verum Epicurum sciebat alienissimum fuisse, brevitatis, ut videtur, causa et quia nominum auctoritatumque erat contemptor, Epicuri non semel nomen ponit, ubi falsos dicere debebat Epicureos, qui hac philosophia ut pravitatis suae velamento utebantur. Quod si vitasset, omnes iamdudum vidissent in temperata illa Senecae philosophia non minus multa Epicureae quam Stoicae philosophiae esse elementa. Utut est, profecto ex Senecae libris disci potest in magno versari errore, qui Zenonis doctrinam e regione censeant Epicuri oppositam esse. Operae igitur pretium mihi videtur quaerere, quaenam ex beatae perfe-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ctaeque, qualem Seneca adumbrat, vitae elementis aperte cum Epicuri doctrina aut dissentiant aut consentiant.

Ac primum quidem e Stoicorum potius mente quam ex Epicuri dictum est, quod posterorum Seneca dicit se negotium agere, in solitudine quoque quam plurimis inservire, ea componere, quae quam plurimis aliquando profutura sint. Epicurei enim de sua solum vita excolenda solliciti erant, discebant et conquirebant, quae ad terrores pellendos et ad firmandam vitae mentisque securitatem aliquam vim viderentur habitura esse neque vero longe prospicientes universae humanitatis saluti volebant inservire. In solitudine abditamque agentes vitam nihil aliud curabant, quam ut ipsorum corpora sine dolore essent, animi sine perturbatione. Dolorum aegritudinumque sibi parabant remedia, malorum circumspiciebant consolationes neque vero umquam cogitationes ultra suae vitae fines aut desideria extendebant. Certe ipsum Epicurum Epicurei non putabant suae solius vitae commodis atque necessitatibus prospexisse, sed aliis quoque verae vitae vias aperuisse. Melius igitur quam quisquam alius Lucretio Caro de universa videtur meruisse humanitate. Attamen apparet id ipsum egisse Epicurum quoque, ut salutis viam ipse inveniret, non ut aliis ostenderet. Sed insitum est homini quoddam sua inventa cum aliis communicandi desiderium. Quid igitur mirum, si vel Epicurus, qui in solitudine mallet vivere aliorumque fugere commercium, suis tamen opinionibus eos, quos amabat, conciliare studebat? Sed vel sic philosophari ei res vere privata videbatur. Stoici contra vel in solitariae meditationis recessu publicam gloriabantur se rem agere in eorumque animis aliquid semper agendi quasi avidis vere ardens vigebat studium de universa humanitate bene merendi. Nam quamquam horum quoque apud Graecos principes privatam potius quam publicam volebant vitam vivere, tamen duo apparet privatam agentium vitam esse genera. Non dico de illis, qui corporis sui tantummodo inservientes desideriis pecudis, non hominis vitam vivunt. Sed inter homines vere humanam vitam viventes etiam sunt, qui in solitudine toti quasi occupati in sua maturanda humanitate prae hoc studio non sentiant singulos homines, quamvis totius in se quisque humanitatis semina habeat, tamen quodammodo avolsas, ut Lucretii verbo utar, esse ipsius humanitatis partes. Tales erant Epicurei. His Stoicos oppono privatam vitam agentes, qui vel in solitudine, cum aut ipsorum examinabant formabantque naturam, aut de universis hominum quaerebant et vitiis et virtutibus, pro suis quemque sentiebant oportere viribus eniti, ut regnum illud iustitiae atque philosophiae in terris constitueretur. Hic est publicus illorum, ut ita dicam, sensus naturali homines inter se vinculo copulatos esse existimantium, hinc fluxerunt quae de mundana illa civitate somniati sunt, quorum nulla in Epicureorum doctrina inveniuntur similia. Patriae autem amore Stoici quoque carebant, quamquam hanc legem naturae dicebant esse, ut privata postponerentur publicis atque communibus. Qui Romae, dum libera erat respublica, Zenonis doctrinam amplexi erant, sine ulla dubitatione, ut homines

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Romani, in locum mundanae civitatis imperium Romanum substituebant, ita ut boni civis officia nihil putarent differre ab hominis officiis. Sed qui primo post Christum natum saeculo Romae exstiterunt Stoici, patriae illum amorem, qui angustus, illiberalis, philosopho non dignus eis videbatur, multo etiam apertioribus et fortioribus verbis impugnabant, quam umquam impugnaverant Graecorum philosophi. Nova enim erat illa tum Romae mens atque temporum atrocissimorum miseria afflictis hanc philosophi praebebant consolationem, ut cum hac persuasione vivendum esse dicerent, non huic uni nos angulo natos esse, patriam nostram totum hunc mundum esse (epist. 28, 4). Huic similis Christianorum est consolatio τοὺς κοπιῶντας καὶ πεφορτισμένους hinc avocantium caelestisque eiusque melioris eis patriae imaginem ostendentium. Cum illa vero Stoici contemptione cum loquebantur de civitate docebantque quemlibet barbariae angulum sapienti, cuius animus bene esset constitutus, hospitalem fore nullique nos loco debere addicere animum, nihil interesse, quo viveres loco, sed illud potius, qualis esses ipse quoque esses animo, proxime saepe ad Epicureae philosophiae similitudinem accedebant. Quid enim ille faciebat aliud quam ut suos in se recedere iuberet atque ab insanis publicae vitae turbis ad privatae vitae avocaret et securitatem et sanctitatem? Attamen illud, quod supra definivimus, vel tum inter Zenonis atque Epicuri sectatores intererat, quamvis exiguo iam intervallo seiuncti viderentur: hi singulorum naturae quasi legem explebant, illi in philosophiae quoque recessu omnia ad singulos humana pertinere existimabant.

Cum his videtur pugnare, quod supra diximus in illa principiorum inter se quasi luctatione victricem exstitisse causam Epicuri. Annon Epicuri doctrina timide per humum repebat, Zenonis contra quodammodo ad caelum versus tendebat? Quid vero divina mentis humanae origine minus est dignum, quam suam, ut Epicurus, agere causam de communi omnium salute nihil sollicitum? At vereor, ne verborum istae controversiae sint. Grandibus enim istis Zenonis de communi hominum et deorum societate verbis abstinens permulta tamen hic quoque et rectissime et humanissime praecipiebat, quibus homines deberent hominibus conciliari. Zenonis contra doctrina multa habebat dura veraeque humanitatis notioni contraria. Quae autem de hominum inter se communione dicebat, quamvis esset magna illorum verborum pompa, tamen incerta erant taliaque, ut neque huic in terris veritati neque sanctiori animi nostri ad caelum versus avolantis desiderio satisfacerent. Non igitur video, cur istae Stoicorum de mundana civitate tragoediae nos tantopere commoveant. Quae enim inde duxerunt praecepta de vita ad communem naturae legem instituenda, eorum simillima a suis profectus principiis invenerat Epicurus quoque. Illa autem, quam perfectae in terris vitae suis ostendebat, imago est illa Stoicorum quoque, quales semper fuerant apud Graecos qualesque apud Romanos quoque plerique omnes fuerunt post libertatis interitum. Paucos enim primum quoque post Christum natum saeculum Stoicos tulit Catonis et Bruti similes; mox vero excussa illa antiquae reipubli-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cae libertatisque recordatione alteram quandam intellexerunt libertatem esse publica illa civilique potiorem, qua ne servo quidem interdictum esset. Haec est illa, quam philosophia dat, libertas. Quam cum Zeno iam praedicasset, quem constat docuisse omnes sapientes liberos esse, omnes stultos esse servos, tamen diu hic splendor publicae apud Romanos vitae splendore obscurabatur, quodque tam diu poterat obscurari, id a quadam verborum ambiguitate est repetendum, qua Stoici antiquitus usi singula privataque universis atque communibus opponebant. Societates enim civiles solam, quae corporis oculis cerni posset, eius, quam mentis oculis sibi cernere videbantur, societatis in terris praebebant imaginem. Sic factum est, ut calidioribus, ut ita dicam, verbis, quam eorum principiis conveniebat, activam atque in republica versantium vitam celebrarent. Seneca vero suam facit Epicuri illam vocam: „Philosophiae servias oportet, ut tibi contingat vera libertas" (epist. 8, 7). Sic autem dicere communi utriusque philosophiae legi conveniens erat. Hoc enim uterque agebat, ut suos in libertatem vindicaret talesque redderet, ut extra fortunae arbitrium positi essent. Quae autem talia Stoicorum doctrina propria habebat, ea omnia ut flosculi decidebant; remanebant, quorum similia cum illa sua sanitate dixerat Epicurus. Iterum igitur contendo ex illa principiorum contentione victorem evasisse Epicurum.

Sic Seneca quoque actionem illam a Stoicis pleno ore laudatam et ut viro et philosopho dignissimam sexcenties commendatam ita interpretatur, ut nihil differat ab Epicuri abditae vitae commendationibus. Ne contemplationem quidem sine actione dicit esse (de otio 5, 8) [1]. Actuosa etiamsi vita civitatis condicione prohibeatur, numquam tamen usque eo interclusa esse omnia, ut nulli actioni locus honestae sit (de tranq. an. 4, 8). Relicto uno angulo in maiora atque ampliora transire sapientem. Immo vero numquam eum plus dicit agere quam cum in conspectum eius divina atque humana venerint (epist. 68, 2). Talia cum secum meditatur, id agit, quod potissimum agendum est: ex hac faece emergens in illud evadit sublime et excelsum, ubi tranquillitas eum animi exspectat et expulsis erroribus absoluta libertas (epist. 75, 18). Hoc igitur summum Seneca putat vitae pro-

---

[1]) Ne Aristoteli quidem contemplatio videtur esse sine actione. Polit. IV (VII), 4: Ἀδύνατον τὸν μηδὲν πράττοντα πράττειν εὖ, τὴν δὲ εὐπραγίαν καὶ τὴν εὐδαιμονίαν εἶναι ταὐτόν — ἡ εὐδαιμονία (haec autem est summum illud, quo omnia tendunt i. e. τέλος τῶν πρακτῶν, ὃ δι' αὐτὸ βουλόμεθα, τἆλλα δὲ διὰ τοῦτο) πρᾶξίς ἐστιν. — Εἰ ταῦτα λέγεται καλῶς, καὶ κοινῇ πάσης πόλεως ἂν εἴη καὶ καθ' ἕκαστον ἄριστος βίος ὁ πρακτικός. Ex eis, quae subsequuntur, apparet praeclarissimum ei actionis genus contemplationem videri: Ἀλλὰ τὸν πρακτικὸν οὐκ ἀναγκαῖον εἶναι πρὸς ἑτέρους, καθάπερ οἴονταί τινες, οὐδὲ τὰς διανοίας εἶναι μόνας ταύτας πρακτικὰς τὰς τῶν ἀποβαινόντων χάριν γιγνομένας ἐκ τοῦ πράττειν, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τὰς αὐτοτελεῖς καὶ τὰς αὐτῶν ἕνεκα θεωρίας καὶ διανοήσεις. Haec demum contemplatio habet illam summi boni αὐτάρκειαν suique quasi est iuris. Quam igitur vitam vulgo ut alteram in agendo aut in republica administranda versantis vitae opponit (significo autem τὸν θεωρητικὸν βίον), hoc loco agentis vitae subiungit talisque vitae quasi pulcherrimum florem affirmat esse. Cf. Zeller, Philosophie der Griechen, II b, pag. 474.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

positum esse, huc omnem actionem vult tendere. At non aliter loquitur Epicurus. Hoc idem suos ille agere iubet, ut excusso errorum iugo per cognitionem atque veritatem ad securitatem enitantur perfectamque animi tranquillitatem.

Videamus iam, quid utrique visum sit de ipsa contemplatione. Epicurum quidem constat suos ab omni revocavisse cognitione atque contemplatione, quae non aliquo modo beatam vitam adiuvaret. Ob id ipsum rationalem illam philosophiae partem removebat satis esse ratus naturalem atque moralem excoluisse (epist. 89, 11). Contemplationem igitur, ut omnem etiam virtutem, voluptatis volebat ministram esse praedicabatque ut voluptatis effectricem. Attamen apparet duplicem ei vim cognitionis atque contemplationis visam esse. Nam primum quidem suos ad naturae cognitionem invitabat, quia funestissimi sunt de rerum natura errores atque multas efficiunt superstitiones easque miseriae plenissimas. Ad quas tollendas, ut beati possent esse et securi, veras eos iubebat rerum quaerere causas. Atque ut utilissima est cognitio, ita Epicuro etiam videtur iucundissima. A rationali philosophiae parte sectatores suos revocabat, non solum quia nullam utilitatem haec meditatio haberet, sed etiam quia nullam ne iucunditatem quidem habere videretur aridissimarum atque spinosissimarum quaestionum agitatio. In naturalibus contra quaestionibus suos non tantummodo ob id volebat versari, ut hunc saluberrimae cognitionis inde caperent fructum, sed liberalissimam etiam atque sapiente dignissimam putabat iucunditatem illo naturae fruentis spectaculo. Atque huic naturae spectaculum animi humani opponit diversissimis curis terroribusque agitati, modo spe excitati, modo ambitione incensi, modo metu perterriti, modo flagrantis cupiditate. Ipsa enim illa contemplandi serenitas, etiamsi nulla inde capiatur ad nostram firmandam securitatem utilitas, per se est iucundissima; ea qui fruitur, summo secundum Epicurum hominis bono fruitur. Serena igitur qui mente alienas contemplatur pravitates, cupiditates, sollicitudines, similis est turbantibus, ut ait Lucretius, aequora ventis e tuto alterius magnum spectantis laborem. Cuius placidae quietis hanc ille dicit esse causam, „non quia vexari quemquam est iucunda voluptas, sed quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.“ Similia Seneca dicit de merae contemplationis dulcedine ac sanctitate remota omni actione, sed interiores quam Lucretius et Epicurus huius iucunditatis causas sibi videtur agnoscere. Epicurum enim notum est docuisse fortuito atomorum concursu totam hanc rerum varietatem atque pulchritudinem effectam esse. Sui igitur iuris rerum naturam putat esse neque ex divina voluntate aut sapientia suspensam, omnia ex se sua vi procreantem et semet ipsam gubernantem. Seneca contra divinae sapientiae, ut Stoicus, omnia putat plena; non a casus, sed a mentis quadam origine rerum repetit concentum deumque ponit mundi administratorem. Nolo pluribus hunc locum persequi. In summa enim impietate Epicurus et Lucretius Carus multa tam pie dicunt, ut verear, ne impietatis accusantibus cum illa inconcussa sua serenitate respondeant: „Sonus tantummodo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verborum ad aures vestras pervenit; quid significet, non quaeritis" (de vita beata 25, 8). Seneca igitur confidenter dicit nos non magis ad actionem quam ad contemplationem a natura genitos esse. Noluisse deum tanta sua opera sine teste esse. Natura homines esse cupidos ignota cognoscendi, cuius cognitionis dulcedinem tantam esse vel seiuncta utilitate, ut a multis magnorum etiam laborum mercede ematur. Ab hac insita contemplandi cupiditate cuiusvis scientiae repetit originem. Facit enim illa, ut praeclusa rimemur, secretiora exquiramus, antiquitates evolvamus, mores barbararum examinemus gentium. „Curiosum nobis natura ingenium dedit et artis sibi et pulchritudinis suae conscia spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida et non uno genere formosa solitudini ostenderet. Ut scias illam spectari voluisse, non tantum adspici, vide quem nobis locum dederit: in media nos sui parte constituit et circumspectum omnium nobis dedit" (de otio 4, 5). Ex ipsa corporis nostri conformatione, ut alii et poetae et philosophi, colligit ad contemplandum nos natos esse. Infinitam autem hanc cognoscendi esse materiam hominemque ad immortalium cognitionem nimis mortalem esse. Secundum naturam igitur Seneca se dicit vivere (de otio 5, 8), si totum se illi dederit, si illius admirator cultorque sit.

In eis quoque, quae Seneca dicit de contemplatione, felicissimam videmus Stoicae et Epicureae doctrinae coniunctionem, ita tamen ut primas in temperata illa doctrina agat mens Epicuri. Assiduam enim contemplationem dulcem illam quidem dicit esse atque illecebras suas habere, sed tamen periculosam neque omni ex parte hominis naturae convenientem. Aperte improbat semper aliquid agentium vitam neque eorum plenam putat humanitatem, qui civilem agant vitam[1]) semperque inquieti nullum umquam sumant

---

[1]) Quae Aristoteles de hac re dicit, cum grano salis, ut aiunt, accipienda sunt. Suis enim ipse quasi rationibus cogitur, ut eos plene beatos perfectaeque humanitatis esse iudicet, qui vacent contemplationi: Εἴτε δὴ νοῦς τοῦτο εἴτε ἄλλο τι, ὃ δὴ κατὰ φύσιν δοκεῖ ἄρχειν καὶ ἡγεῖσθαι καὶ ἔννοιαν ἔχειν περὶ καλῶν καὶ θείων, εἴτε θεῖον ὂν καὶ αὐτὸ εἴτε τῶν ἐν ἡμῖν τὸ θειότατον, ἡ τούτου ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία. Ὅτι δ' ἐστὶ θεωρητική, εἴρηται (Eth. Nicom. X, 7). Beatissimus igitur atque perfectissimus ei videtur homo proprio rationis munere fungens. Ἡ τε λεγομένη αὐτάρκεια περὶ τὴν θεωρητικὴν μάλιστ' ἂν εἴη. Ex se cum haec vita apta sit neque aliarum rerum necessitatibus subiecta, vere putanda est libera esse, plena suique quasi iuris. Hoc autem praecipuo signo summum illud bonum secundum Aristotelem agnoscitur. Pacis otiique plenam hanc vitam vocat talemque, ut in ea possis acquiescere, cum vita semper aliquid agentium ei belli similis videatur, quod non habet illud αὔταρκες, quia non propter se, sed pacis fit causa: Δοκεῖ δὲ ἡ εὐδαιμονία ἐν τῇ σχολῇ εἶναι· ἀσχολούμεθα γὰρ ἵνα σχολάζωμεν, καὶ πολεμοῦμεν ἵν' εἰρήνην ἄγωμεν. Externo igitur quia quasi motu cietur, non suo interioreque, illa, quae agentium vocatur, vita dignitate cedit contemplationi, quamquam quae in belli aut reipublicae administratione fiunt, magnitudinis quodam splendore solent conspicua esse: Εἰ δὴ τῶν μὲν κατὰ τὰς ἀρετὰς πράξεων αἱ πολιτικαὶ καὶ πολεμικαὶ κάλλει καὶ μεγέθει προέχουσιν, αὗται δ' ἄσχολοι καὶ τέλους τινὸς ἐφίενται καὶ οὐ δι' αὐτὰς αἱρεταί εἰσιν, ἡ δὲ τοῦ νοῦ ἐνέργεια σπουδῇ τε διαφέρειν δοκεῖ θεωρητικὴ οὖσα, καὶ παρ' αὐτὴν οὐδενὸς ἐφίεσθαι τέλους

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tempus, quo ab humanis ad divina respiciant, sed imperfectum et languidum etiam ei bonum videtur in otium sine actu proiecta virtus, numquam id, quod didicit, ostendens. Plerosque vero agendi rationem arctioribus finibus circumscribere omnesque, qui publice nihil agant, segnem putare agere vitam (de otio 6, 5). Illam enim tranquillitatem in inconcusso otio iacentis neque quicquam habentis, ad quod excitetur, malaciam vocat marisque mortui cum Demetrio dicit similem esse (epist. 67, 14). Sed iterum et saepius affirmat ne Epicuri quidem hanc fuisse securitatem. Non voluptatem illum inertem probasse, sed eam, quam sua quisque sibi ratione firmam efficeret. „Ita et haec ipsa voluptaria secta in actu est“ (de otio 7, 3). Non semel Epicuri illis usus vocibus atque coloribus illam animi, ad quam sapiens perventurus sit, describit perfectionem. Miranti amico: „Otium, Seneca, commendas mihi? ad Epicureas voces delaberis,“ sic respondet: „Otium tibi commendo, in quo maiora agas et pulchriora quam quae reliquisti: pulsare superbas potentiorum fores, digerere in litteram senes orbos, plurimum in foro posse invidiosa potentia ac brevis est, et, si verum aestimes, sordida. Ille me gratia forensi longe antecedet, ille stipendiis militaribus et quaesita per hoc dignitate: ille clientum turba: est tanti ab omnibus vinci, dum a me fortuna vincatur, cui in turba par esse non possum!“ (epist. 68, 10).

Sed quamvis saepe moneat, ut in nos recedamus, tamen periculosam putat diuturnam et continuam sibi viventium contemplationem. „Omnia nobis mala solitudo persuadet“ (epist. 25, 5). Ob id ipse quoque Epicurus omnia suos sic facere iubebat, cum soli essent, tamquam spectante Epicuro. Talem Seneca quoque Lucilium suum iubet paedagogum sibi imponere. Eos demum, quorum firma atque corroborata sit natura, in se semper patitur recedere, in reliquorum vita actionem et contemplationem vult misceri. Hic igitur pulcherrimus ei videtur philosophiae fructus esse, quod emeritis cupiditatis atque pravae ambitionis stipendiis tandem aliquando sapienti a vitae turbis remoto sibi liceat vivere totumque vacare contemplationi. Qui igitur diu in agendo versati sunt, maturitatis, quam adepti sunt, iure, cum ratio in eis perfecta est, fiunt spectatores. Hinc nascitur

---

ἔχειν τε ἡδονὴν οἰκείαν . . . . ἡ τελεία δὴ εὐδαιμονία αὕτη ἂν εἴη ἀνθρώπου. Talis autem vita, tota contemplationi dedita, humanam ei naturam excedere videtur: Ὁ δὲ τοιοῦτος ἂν εἴη βίος κρείττων ἢ κατ' ἄνθρωπον. Οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν οὕτω βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει. — Θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον. Divina illa mens, cum praestantissima sit hominis pars, non mortalia Aristoteles nos vult hominem iubere cogitare, sed immortalia potius: Οὐ χρὴ δὲ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀθανατίζειν καὶ πάντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ. Quod vero quaeque natura habet praeclarissimum, id maxime eius proprium vocari solet. Ab hac parte si spectes, nulla tamen vita humanior videatur, quam quae tota vacet contemplationi: Τὸ γὰρ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει κράτιστον καὶ ἥδιστόν ἐστιν ἑκάστῳ. Καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὲ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος, εἴπερ τοῦτο μάλιστα ἄνθρωπος. Οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστατος. Haec eadem igitur vita Aristoteli modo humanam videtur naturam explere, modo excedere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gaudii iam non turbati aequalitas, qui secundum Senecam quoque praecipuus est sapientiae effectus. „Talis est sapientis animus, qualis mundus super lunam: semper illic serenum est“ (epist. 59, 16). Si non Senecae adscribas nomen, quis non putet veri Epicuri quendam haec dixisse discipulum? Atque multa his ille similia praeclarissime dicit de perpetua sapientis tranquillitate et de gaudii, quod solus ille sentit, sanctitate.

Praevalere supra diximus in illis perfectae mentis descriptionibus colores ab Epicuri doctrina desumptos. Examinemus igitur, cur Seneca tamen Stoicum se dicere maluerit. Quamvis magni faciat Epicuri auctoritatem, tamen male eum putat voluptatis vocem elegisse ad summum illud significandum, cui reliqua omnia debeant subiungi. Sciebat Seneca ne secundum Epicurum quidem beate posse vivi, nisi viveretur iuste atque prudenter, sed non mediocriter ei displicebat levissima ista voluptatis vox vel gravissimis quaestionibus intrusa. Beatam vitam modo dicit in hoc uno positam esse, ut in nobis ratio perfecta sit (epist. 92, 2), modo cum Epicuro securitatem et perpetuam tranquillitatem definit. Indolentiam bonum esse negat: habere illam cicadam, habere pulicem. Ne quietem quidem et molestia vacare bonum vult dicere: quid enim esse otiosius verme? (epist. 87, 19). Summam autem eorum, quae in epistulis de moribus et de arte vitae disputavit, in ultima ad Lucilium epistula hac brevi formula complectitur, qua illum vult se metiri: „Tum habebis tuum, cum intelleges infelicissimos esse felices“ (epist. 124, 24). Fortissimas saepe voces confitetur in ipsa officina voluptatis auditas esse (epist. 92, 25); atque ipsius Epicuri admiratur in ferendis doloribus constantiam. Illa vero, quae hic quoque ut mala consolatur atque deprecatur, Seneca quasi ut bona salutat et ad se accedere iubet. Calamitatem igitur virtutis dicit occasionem esse. Non vult expavescere nos ista, quae di immortales velut stimulos admoveant animis. Miseros contra vocandos esse, qui nimia felicitate torpescant, quos velut in mari lento tranquillitas iners detineat (de providentia 4, 6). Nocere omnia, quae excesserint modum, sed periculosissimam felicitatis intemperantiam esse. Eisdem fere, quibus nos hodie uti consuevimus, verbis Seneca calamitatem ut insignem dei favorem praedicat. „Hos deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet“ (de providentia 4, 7). Negat quicquam bono viro mali accidere posse. Omnia enim adversa exercitationes esse. Marcere sine adversario virtutem. Ut firmi fortesque fiant, exagitantur boni viri a deo doloribus atque damnis. Quid quod iucundum deo putat spectaculum esse magni viri cum aliqua calamitate colluctantis. Nihil igitur ei infelicius videtur eo, cui nihil umquam acciderit adversi. Mucio, Fabricio, Rutilio, Regulo, Socrati, Catoni, viris fortissimis quique, quamvis graviter fuerint afflicti, tamen felices putandi sint fuisse, Maecenatem opponit voluptatibus marcidum et felicitate nimia laborantem. Negat male actum esse cum Socrate. „Electione fati data plures nasci Reguli quam Maecenates velint“. Avidam enim periculi esse virtutem, gaudere magnos viros aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis. Aliqua enim rerum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

difficultate opus esse, ut aliquid animose fortiterque possint facere. Diuturna contra felicitate homines enervari et, nisi aliquid interveniat, quod humanae sortis admoneat, ad extremum velut perpetua ebrietate sopitos iacere. Vult igitur, qui gravia perpessi sint, gaudere potius, quod digni visi sint deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Annon in castris quoque periculosa fortissimis imperari? „Labor optimos citat.“ „Ignis aurum probat, miseria fortes viros.“ „Humilis et inertis est tuta sectari: per alta virtus it.“ Quod quoniam sola animi bona vera censet bona esse, hanc ipsam boni viri felicitatem dicit esse, quod non egeat felicitate, tamque impia est Stoici Senecae, quem Christianae multi putaverunt fidei addictum fuisse, virtutis suae fiducia, ut fortiter mala ferendo sapientem dicat supra divinae naturae praestantiam se attollere. „Hoc est, quo deum antecedatis: ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam.“ Eiusmodi dictis abundat ille de providentia libellus. In his verissimum se praebet Stoicum. Rigidam ipse ac virilem hanc Stoicorum vocat sapientiam (consol. ad Helviam 12, 4), tantum ob id ipsum inter Stoicos et ceteros sapientiam professos dicit interesse, quantum inter feminas et mares (de constantia sapientis 1, 1). Illorum enim sapiens proxime ad dei praestantiam accedit, „excepta mortalitate similis deo“ (de const. sap. 8, 2).

Hae omnes calamitatum praedicationes puros ostendunt Stoicae doctrinae colores. In qua re tamen hoc monendum videtur, progredientibus annis magis magisque Senecam ab exaggerata illa sapientia recessisse atque humanius locutum esse. Non desiit profecto ne senex quidem ad omnia ferenda se fortem facere et durare ad omnes et vitae et mortis terrores, sed id ipsum cavet, ne fortius quam verius loqui et quae naturae nostrae infirmitatem excedant, poscere videatur. Mitior igitur est in praeclarissimis illis, quas senex ad Lucilium scripsit epistulis. Quid quod ipse profitetur non Stoica se cum illo lingua loqui, sed „hac submissiore“ (epist. 13, 4). Non renuntiat Stoicis, sed minus saepe gloriatur de insigni atque invicta sapientis fortitudine. „Nos dicimus omnia ista, quae gemitus mugitusque exprimunt, levia esse et contemnenda: omittamus haec magna verba, sed, di boni, vera.“ Quis vero ob id inconstantiae Senecam accuset? Magnificae profecto sunt illae invicti animi extraque omnem malorum patientiam positi ex mente Stoicorum descriptiones, sed senem minus decent quam adulescentem atque virum. Sic Seneca quoque percursis quasi nimiae sapientiae erroribus in mediae temperataeque cuiusdam sapientiae portum intravit. Abundant igitur eius ad Lucilium epistulae mitissimis perfectae in recessu viventium, secum de vitae humanae condicione meditantium, suam vitam colentium tranquillitatis atque securitatis praedicationibus. Sed hanc ipsam apparet vitae illam perfectionem esse, quae Epicuro obversabatur. Meo igitur iure mihi videor contendere senem Senecam non illum quidem descivisse a fortissima Zenonis disciplina, sed proxime ad placidam illam Epicuri quietem accessisse. Quamquam nihil dicit contra Stoicos, tamen magnis illorum vocibus apparet eum minus iam delectari. Quid quod hoc

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ipsum sibi videtur in epistulis proposuisse, ut mitem Epicuri sapientiam iusto afficiat honore. Usque eo omnia ibi abundant Epicuri laudationibus.

Reliquum est, ut certiora dicamus de illis Stoicae doctrinae mitigationibus, quibus tam saepe in epistulis plenissimae Epicuri laudes adiunctae sunt. Numquam tam acer Seneca fuerat Stoicus, ut omnes, quicumque non perfectam sapientiam adepti essent, eodem putaret loco habendos esse, quo stultissimos. Multos sapientiam sciebat habere gradus. Negat quemquam ne tolerabiliter quidem posse vivere sine sapientiae studio. Beatam dicit vitam perfecta sapientia effici, ceterum tolerabilem etiam incohata (epist. 16, 1).

A voluptate Lucilium revocat atque altius aliquid sublimiusque eum meditari iubet. Neque vero ei in mentem venit eis illi interdicere voluptatibus, quae cum naturalium desideriorum expletione coniunctae sunt (epist. 102, 28). Sed non ut illam peteremus, voluptatem a natura necessariis rebus admixtam esse, sed ut ea, sine quibus non possumus vivere, gratiora nobis illius faceret accessio (epist. 116, 3). At Epicuri quoque illam voluptatem sobriam et siccam esse. „Ille enim voluptatis magister certos habebat dies, quibus minimo et vilissimo cibo famam exstingueret, ut semet ipsum examinaret, num quid deesset ex plena et consummata voluptate“ (epist. 17, 9).

Voluptatem ne senex quidem in epistulis Seneca impugnare desiit, sed nihil aliud censebat Epicurum dixisse, cum illa voce uteretur, quam gaudium atque felicitatem. Quid quod ne Epicurus quidem negabat quaedam honestissima esse, sed aspera et per dolores exigenda. Non semel Seneca monet non ita illum voluptatis amantem fuisse, ut omnes dolores respueret. Neque vero, ut legitimi Stoici, quicquam negat esse dolorem. Fortiter subeundum esse et pro beneficio habendum, quia excitet virtutem, ita ut vel miser putandus sit, qui numquam fortunam asperam atque malignam expertus sit. Fortuita esse fortunae dona, virtutem autem tantum bonum esse, ut istas accessiones minutas non sentiat (epist. 92, 24). Haec quidem omnia Stoice dicta sunt. Sed non cum odii illa acerbitate, quam Stoici severiores hereditate acceptam habebant a Cynicis, removet a se, quaecumque ab hominibus ipsa, ut apparet, natura suadente in aliquo pretio habentur. Non sapientem se indignum ullis muneribus fortuitis putare; non amare divitias, sed malle; non in animum istas, sed in domum recipere. Neque contempturum se sapientem, etiamsi fuerit minimae staturae, malle tamen procerum esse; malam valetudinem toleraturum esse, bonam optaturum (de vita beata 21, 22).

Atque ut voluptatis est obtrectator, ita gaudii est laudator. In eo ultra Stoicorum doctrinam progreditur simul ad illam Epicuri appropinquans, quod gaudium concelebrat ut sensum vere humanum ac vel sapiente dignissimum. „Hoc ante omnia fac, inquit, mi Lucili: disce gaudere.“ „Animus debet esse alacer et fidens et super omnia erectus. Mihi crede, verum gaudium res severa est.“ Humanam enim cum sapientem quoque vellet vivere vitam, voluptates ei concedebat remissas et modestas, quas ut ludum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iocumque inter seria apte dicit interponi (de vita beata 12, 2). Neque vero, ut Epicurus, ob id ipsum virtutes putat colendas esse, ut hanc gaudii percipiamus dulcedinem atque hoc etiam negat, honestum illud cum accedat gaudium, ullam fieri ad summum bonum accessionem. Nolebat igitur virtutes neque voluptatis neque gaudii ministras esse, ita tamen ut gaudium illud cum ratione consentiens vereque humanum naturalem vitae bene honesteque actae iudicaret fructum esse. Quod quia non potest esse sine virtute, collaudat etiam atque ita non cum severioribus Stoicis verae sapientis dignitati putat contrarium esse, ut certum quasi maturae sapientiae ei videatur signum. Hoc loco Seneca quoque, quamquam acutularum ratiuncularum contemptor est atque ipse saepe monet, ne vitam conteramus in syllabis, summa utitur subtilitate, ut voluptariam doctrinam certis finibus ab illa Stoicorum severitate seiungat. Bona enim illa, quae vere humana summoque censet studio digna, tamen absoluti boni partes esse non concedit dicitque consequentia esse summum bonum, non consummantia (de vita beata 15, 2). Laudat Epicurum, quod negat sine virtute beate posse vivi, inepta vero eum dicit uti distinctione, quod ipsam virtutem satis esse neget ad beatam vitam, quia beatam efficiat voluptas, quae ex virtute sit, non ipsa sit virtus. Absurdam etiam illam Aristotelis vocat sententiam beatos quidem nos futuros esse docentis vel sola virtute, non futuros autem perfecte beatos. Si enim beata vita nullius rei sit indigens, omnem beatam vitam perfectam esse eandemque esse et beatam et beatissimam (epist. 85). Voluptates turbidas magnoque luendas Epicurus quoque suos fugere iubebat: bona eos, ut Seneca, volebat mansura circumspicere, qualia sola virtute sibi persuaserat parari posse. Quod quoniam veram voluptatem sola praestatura est virtus, ob hunc virtutis fructum Epicurus ipsam virtutem dicebat appetendam esse. Hoc quidem Seneca concedere recusat virtutem clamans propter suam dignitatem, non propter illum gaudii et tranquillitatis effectum appetendam esse. Ipse vero philosophi, sive gaudium voces, sive quietem, sive tranquillitatem, sive securitatem, eis praedicat verbis, ut tamen non aliter quam Epicurus hoc quasi praemio ostendendo ad virtutis studium videatur velle allicere. „Sola, inquit, virtus praestat gaudium perpetuum, securum: etiam si quid obstat, nubium modo intervenit, quae infra feruntur nec umquam diem vincunt“ (epist. 27, 3). Non aliter quam Epicurus illam, quae proprie vocatur, voluptatem in praecipiti dicit esse atque ad dolorem vergere (epist. 23, 6). Non levis, fugacis, subinde reficiendae, sed stabilis et certae voluptatis verum Epicurum dicit magistrum fuisse. Plane singulari enim ille magister voluptatis erat frugalitate. Non autem iucundam rem esse — sic Seneca eius obtrectatoribus respondet — aquam et polentam aut fructum hordeacei panis, sed summam voluptatem esse posse capere etiam ex his voluptatem et ad id se deduxisse, quod eripere nulla fortunae iniquitas possit (epist. 18, 10). Talem autem, qui dicit voluptatem, apparet usitatissimam illum vocem in alienum sensum detorquere. Stoico certe sic non licebat loqui idque ipsius verbis probari potest. „Magnam“, inquit alio loco,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„ex epistula tua percepi voluptatem: permitte enim mihi uti verbis publicis nec illa ad significationem Stoicam revoca. Vitium esse voluptatem credimus. Sit sane: ponere tamen illam solemus ad demonstrandam animi hilarem affectionem. Scio, inquam, et voluptatem, si ad nostrum album verba dirigimus, rem infamem esse et gaudium nisi sapienti non contingere. Est enim animi elatio suis bonis verisque fidentis“ (epist. 59, 1, 2). Hoc qui tenet, ne Senecam quidem in illa de summo bono tractanda quaestione verum gaudium subtiliter a falsa ista laetitia indignaque sapiente voluptate distinguere, non potest dubitare, quin Stoicorum unam virtutem praedicantium neque quicquam umquam humanis affectibus tribuentium severitatem placidi illius gaudii, quod Epicurus quasi in philosophiam introduxit, admixtione temperaverit. Miratur, quod multi gaudium illud inter sollicitudines quaerant et illuc sperant se inter divitias aut inter honores venturos esse. Inter certa sapientiae signa ac quasi notas non solum firmum et inconcussum animum ponit, sed hilarem quoque, placidum, gaudii plenum. „Si numquam maestus es, nulla spes animum tuum futuri exspectatione sollicitat, si per dies noctesque par et aequalis animi tenor erecti et placentis sibi est, pervenisti ad humani boni summam“ (epist. 59, 14). Expellendis per cognitionem terroribus sedandisque per honestatis legem cupiditatibus placidum illud summi boni gaudium Epicurus efficiebat, quod saepe dicit non tam laetantis, quam non dolentis esse. Quid vero Seneca aliud dicit, cum Stoicorum abstinens vocibus, sic describit: „Tum illud orietur inaestimabile bonum, quies mentis in tuto collocata et sublimitas expulsisque terroribus ex cognitione veri gaudium grande et immotum“? (de vita beata 4, 5). Vulgari voluptati corpus implentis et saginantis non semel illam opponit perturbatione carentis neque ambitionis stimulis excitati neque quicquam a deis ad humanae malignitatis similitudinem confictis sibi timentis. In qua quis non agnoscat aequalem illam, intrepidam, numquam sensuram sui taedium, quae erat Epicuri (de beneficiis 7, 2, 3)? Quae autem aliis locis aperte atque acriter contra voluptatem disputat, contra falsos Epicureos dicta sunt. Quis enim in hisce descriptionibus illius Epicuri videat imaginem, quem ipse Seneca gravia, recta, paene tristia dicit docuisse cuiusque voluptas, si propius accedas, ad exile revocetur? „Vobis voluptas est inertis otii, facere corpusculum et securitatem sopitis simillimam appetere et sub densa umbra latitare tenerrimisque cogitationibus, quas tranquillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torporem et cibis potionibusque intra hortorum latebram corpora ignavia pallentia saginare“ (de benefic. 4, 13, 1). Eadem certe Senecae de viri sapientis habitu erat mens quae Epicuri, sed aliis locis de re consentiens ipsius tamen Epicuri quoque vituperat verba atque argumenta. Hos quidem locos magnam concedo vim habere ad turbandas lectorum mentes. Virtutem vult antecedere, comitari voluptatem et circa corpus ut umbram versari. „Virtutem quidem, excelsissimam omnium, voluptati tradere ancillam nihil magnum animo capientis est“ (de vita beata 13, 5). His ipsum Epicurum peti apparet. Atqui sciebat

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Seneca non eum fuisse Epicurum, qui suos constrictis se iuberet manibus voluptati tradere. Quae igitur sequuntur: „Habebimus nihilominus voluptatem, sed domini eius et temperatores erimus,“ nihil habent, quod a veri Epicuri doctrina alienum videatur. Alio loco in Epicureorum delicatam et umbraticam turbam invehitur, apud quos virtus voluptatum ministra sit. Manifestam esse istam caecitatem primisque illos postrema praeferre (de benef. 4, 2). Delicatus profecto non erat Epicurus, sed hoc argumento sibi vere constans utebatur, ut summum illud bonum, cuius causa reliqua appeterentur quodque ipsum nullius alius rei causa appeteretur, diceret voluptatem esse, huic reliqua subiuncta esse omnia, quin etiam virtutes non propter ipsas expeti, sed quia voluptatum essent effectrices.

Verborum vim potius quam ipsa verba intuentibus verus ille Epicurus de perfecta et sapientia et beatitudine eadem fere dicere videbitur, quae Stoicus Seneca, qui cum Stoicum se esse obliviscitur — obliviscitur autem saepe in illis ad Lucilium epistulis — humanissime loquitur, ut Epicurus, dulcissimisque, ut ille, verbis perfectam animi aequitatem atque tranquillitatem praedicat ut pulcherrimum vitae bene actae fructum. Interdum tamen in his quoque epistulis, in quibus hoc ipsum ei propositum est, ut humani sensus potius desideriis satisfaciat quam ullius scholae placitis, ei accidit, ut voluptatis quasi voce exacerbatus huic ut bono „irrationali“ et pecudis bono, cum illa Stoicorum confidentia suam opponit rationem perfectam, omnia et corporis et fortunae bona subter se posita iudicantem atque ultro etiam ad se labores vocantem et pericula, ut praeclarissimas virtutis exercendae praebentia occasiones. Apparet autem verborum istas repugnantias esse, certam atque semper eandem esse Senecae sententiam. „Id in quoque optimum esse debet“, inquit, „cui nascitur. In homine optimum quid est? ratio: hac antecedit animalia, deos assequitur. Ratio ergo perfecta proprium bonum est.“ Corporis bona in animalibus aut eadem aut etiam praestantiora esse (epist. 76, 8. 9). Non aliud bonum esse quam honestum nec aliud malum quam turpe, „si una indepravata virtus est et sola permanens tenoris sui“ (epist. 76, 19). Haec Stoicus loquitur. Eadem si dicit sectae illius abstinens formulis, multo etiam felicioribus describit verbis, quanto fallacissimis istis fortunae donis praestet summum animi bonum, quod positum est in perfecta ratione. Posse dicit ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere, posse ex casa virum magnum exire, posse magnum animum etiam in deformi humilique corpusculo habitare, virtutem omni loco nasci (epist. 66); ex quolibet angulo licere in caelum subsilire. Hoc summum esse, ut animum nobis paremus intuentem vera, peritum fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, sed ex natura omnia aestimantem, in omnes mundi partes contemplationem suam mittentem, neutri se fortunae submittentem. Talem animum virtutem vocat, quam qui habet beatus est implevitque hominis bonum. Quis post tales praedicationes dubitet bonorum et malorum arbitram vocare rationem, quae aliena et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

externa pro vilibus habeat et accessiones minimas ac levissimas iudicet (epist. 66, 35). „Quod potest in hac claritate solis habere scintilla momentum?“ (epist. 92, 5). Epicurus contra duo dicit bona esse, ex quibus summum illud beatumque componatur, ut corpus sine dolore sit, animus sine perturbatione (epist. 66, 45). Humanissimum certe et verissimum erat corporis perfectam quietem cum animi bonorum suorum contemplatione gaudentis tranquillitate et remissione coniungere. Ceteroquin suae usus philosophiae praesidio tam firmum habebat animum, ut omnia posset perferre atque ipse Seneca illius laudat in tolerandis doloribus constantiam. Stoici contra corporis aut fortunae negabant neque bona neque mala esse malebantque commoda vocare et incommoda. Necessitate coacti, ne quae cum naturali omnium sensu pugnarent, dicere viderentur, concedebant sumpturum esse sapientem, si electio daretur, corporis sanitatem et vires et illa fortunae dona, ita tamen ut adderent vel sine commodis tamen fore beatissimum (epist. 92, 13. 16; 66, 37.) Sic ne Seneca quidem obstinato animo omnia a re repellit, quorum possessione gaudere humanum est. Quis autem non videt Epicurum quoque in hac opinione fuisse, ut non solum facilius careri putaverit corporis illo bono, quam altero, quod dicebat animi esse, sed etiam certissimas ab animo sibi visus sit repetere consolationes, si corpus dolore opprimeretur. Illud vero Senecae vere est proprium, quod mala, quae vocantur, calamitatesque ut virtutis occasiones saepe praedicat. Non satis habet, ut Epicurus, eorum praebuisse consolationes, sed quodammodo utiliter hominibus putabat immitti. Illis enim urgentibus excitari vires, eorum, qui talia numquam experti sint, manere mancam naturam neque posse ad humani boni perfectionem pervenire, qui illa quasi calamitatis educatione caruerit, ita ut infelicissimos etiam vocet, qui semper felices fuerint. Verissime haec omnia dicta esse longoque intervallo a vulgaribus illis Stoicorum gloriationibus, in quas ipse quoque saepe incidit, seiuncta quis non sentit? Omnia, ad quae gemimus, quae expavescimus, tributa vitae vocat (epist. 97, 2). Virtutem labori ac dolori familiariorem dicit esse quam voluptati (de benef. 4, 2, 4). Horum igitur nemo sibi speret immunitatem. Omnia ista in longa vita esse, quomodo in longa via sit pulvis et lutum et pluvia. Quod quoniam vivere militare est, fortiter obviam ire decet laboribus atque periculis neque putidam illam sibi omni animi desiderio appetere quietem, cuius tamen numquam certa est et secura possessio. Haec quidem vere differunt a perfectae vitae imagine, quam sectabatur Epicurus, qui tamen ipse quoque non tam prudenter vitando mala quam animum ad omnia firmando ad illam perfectae vitae, quam laudabat, tranquillitatem atque securitatem pervenire studebat.

In eo Epicurus cum Stoicis consentit, quod animum ab externorum bonorum amore atque cultu ad se ipsum suasque divitias revocat. Atque hoc quoque ei cum Zenonis discipulis commune est, quod bonum virum extra fortunae arbitrium ponere studet. Nervosius, sed vereor, ne minus dixerint vere, Stoici contendebant nihil fortunam posse in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sapientem, Epicurus satis habebat dixisse non ita magnam fortunae in sapientem esse potentiam (βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει), summam vero rectae mentis esse vim, ita ut satius sit secundum rationem in adversis, quae vocantur, vivere rebus, quam rationi non oboedientem in secundis (τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα ὁ λογισμὸς διῴκησε, κρεῖττον εἶναι εὐλογίστως ἀτυχεῖν ἢ ἀλογίστως εὐτυχεῖν). Huic opinioni consequens est, quod laudator exstitit frugalitatis atque paupertatis. Nihil ne Seneca quidem gravius monet, quam ut patientes fiamus paupertatis. Epicuri permultas laudans voces cum mirabili varietate in hanc sententiam dictas exhortatur, ut omnia naturalibus desideriis metiamur, quibus aut gratis satisfieri dicit aut parvo (epist. 119, 12). Parvo naturam contentam esse, parabiles esse naturae divitias (εὐπόριστος ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος). Priscos olim homines in commune quasi rerum natura fruentes alienosque ab omni et luxuria et avaritia neque exquisitiora umquam, quam ultro offerat tellus, sibi appetentes feliciores fuisse quam nos, quos sollicitudo in nostra purpura verset et acerrimis excitet stimulis (epist. 90). Sagacitatis ista, quae sua ardenter appetat aetas, esse inventa, non sapientiae. Non tam naturam homini fuisse inimicam, ut cum omnibus aliis animalibus facilem dederit vitam, homo solus non possit sine tot artibus vivere. Ad parata nos affirmat natos esse, sed omnia nos nobis difficilia facilium fastidio fecisse. Rectissime divitias Epicurum dicere esse ad legem naturae compositam paupertatem (epist. 27, 9). Nihil naturam desiderare praeter panem et aquam.[1]) Quae qui habeat, si intra naturae se tenuerit desideria, cum ipso Iove de felicitate posse contendere (epist. 25, 4). Ὕδωρ καὶ μᾶζαν ἔχων αὐτῷ τῷ Διὶ διαγωνίζοιτο ἂν περὶ τῆς εὐδαιμονίας. Naturalia enim desideria finita esse: ex falsa opinione nascentia, ubi desinant, non habere (epist. 16, 9). Epicuri eiusdem secutus auctoritatem, ne corrumpantur, divitibus suadet, ut subinde aliquos dies interponant, quibus se imaginaria paupertate exerceant ad veram (epist. 18, 5; 20, 13). Ille igitur cum suum sapientem definiebat quasi artificem conquirendae et comparandae voluptatis, nihil tamen aliud dicebat quam esse eum „divitiarum naturalium quaesitorem acerrimum“ (epist. 119, 5). Prisci illi atque simplices cum naturae quasi beneficio fuerint sapientes, nos hodie, postquam a natura defecimus, philosophiae opera discimus cupiditati nihil esse satis, naturae satis esse etiam parum (ad Helviam 10, 11). Hoc qui tenet, nihil homini naturam, quod necessarium fecerit, fecisse operosum (ad Helviam 11, 1), bene vivit. Similia in hanc sententiam dicta permulta Seneca ex Epicuri libris collegit brevibusque

[1]) Ut dei similes fiamus, corporis nos vult desideria reprimere. „Nihil desideres oportet, si vis Iovem provocare nihil desiderantem“ (epist. 110, 20). In similem sententiam Socrates, qui ἐν πενίᾳ μυρίᾳ erat, sic in Xenophontis commentariis (I, 6, 10): Ἐγὼ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δεῖσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δὲ ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου. Idem tamen Seneca contra naturam dicit esse torquere corpus suum et faciles odisse munditias et squalorem appetere et cibis non tantum vilibus uti, sed tetris et horridis. Dementiae esse usitatas res et non magno parabiles fugere. „Frugalitatem exigit philosophia, non poenam“ (epist. 5, 5).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

commentariis ita illustravit, ut non possit dubium esse, quin non aliter quam Epicurus putaverit vivendum esse.

Dolorem cum Epicurus ipsum malum definiret, suis doloris consolationes debebat praebere et quasi arma, quibus tecti impetum doloris possent sustinere. Notissima est vel ex Ciceronis de philosophia libris illa, qua uti solebat, consolationis formula, dolorem esse aut brevem aut levem. Iterum atque saepius hac eadem formula utitur Seneca (epist. 24, 14; 30, 14). Sic nos amantissimam nostri naturam dicit disposuisse, ut dolorem aut tolerabilem aut brevem fecerit (epist. 78, 7). Praecipua autem doloris consolatio et Stoicis et Epicureis ipsa videbatur philosophia. Falsas enim detrahit opiniones, omnium cupiditatum fontes, facitque, ut nuda remotis involucris appareat veritas. Nam Epicurus quoque reprimendo potius quam explendo tollebat cupiditates. Rationibus atque argumentis utrique efficiebant, ut non sentirentur, quae ipsa tamen natura monet, ut vitemus ac fugiamus. Negat Seneca acerbum esse carere eo, quod cupere desieris. Tolerabilia esse omnia, quae opinionis erroribus non supra veritatem augeantur. „Ad opinionem dolemus. Tam miser est quisque, quam credidit“ (epist. 78, 13). Ex eodem fonte omnes fluunt dolores, quos ambitio, luxuria, avaritia excitant. „Omnia ex opinione suspensa sunt.“ Philosophiae secundum utrosque fit opera, ut tenebrae menti offusae dispellantur, sed multo praeclarioribus quam Stoici Epicurus hanc philosophiae celebravit vim errores dispellendi omniaque sub verum adspectum reponendi. Acute concludendo omnia Stoici sibi videbantur posse efficere, ita ut vel contra communem omnium opinionem, quae principiis suis consequentia essent ut certissima auderent ponere. Veluti simpliciter negabant ista mala esse, quae tamen ipsa natura duce omnes reformidant. Epicurus contra integrae incorruptaeque naturae iudiciis plurimum tribuebat eiusque sensus perspicuos ipsius veritatis quaedam putabat oracula esse. Naturam cum dicit, facile semper quid velit intellegitur; Stoicorum vero magna saepe est argumentandi ambiguitas, quia duplicem ponebant naturam: unam, cui illa, quae dicit Epicurus, grata et ingrata, fugienda et appetenda videantur. Hanc esse naturam rudem et incohatam, sibi potius suisque semper utilitatibus prospicientem quam communibus omnium. Ea igitur hanc plerumque suadere, quae officio atque honestati repugnent. Apparet autem hanc esse illam naturam, quam sui vocabant conservatricem. Ratione vero corroborata altius quiddam sequi naturam minusque iam de suis commodis de suaque salute quam de communibus omnium utilitatibus esse sollicitam. Hanc demum naturam rationis opera ad suam maturitatem perductam veram vocabant naturam; hanc intellegebant, cum naturae convenienter dicebant vivendum esse. Hinc fluxerunt illa tam mirabiliter dicta quaeque non solum cum naturalibus hominum desideriis, sed cum ipsa ratione pugnare viderentur. Veluti dicebant contra naturam esse sua dubitare communibus omnium commodis postponere, vitam suam dubitare pro patria profundere aliaque id genus. Cum quid igitur contra naturam dicebant esse, nihil aliud

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicebant quam esse contra perfectum officium. Eiusmodi argumentis Seneca non utitur. Luxuriam ac plerasque hominum cupiditates eo, quo nos quoque dicimus quoque Epicurus dicebat, sensu contra naturam iudicabat esse (epist. 122). Simplicitatis enim naturam amantem putat commendatque non semel ad legem naturae compositam paupertatem. Qui parvo contenti sint, cupiditates qui doment, quorum vita frugalis sit, eos Seneca cum Epicuro consentiens naturae convenienter dicit vivere; magnis vero illis Stoicorum verbis naturam semper pro perfecta ratione ponentium abstinet. Sic effectum est, ut simplicius semper, apertius, verius, humanius loquatur quam solebant Stoici. Sui curam omnibus animalibus insitam esse dicit. Sibi quemque commissum esse. Tenera quoque animalia, quid sit infestum ipsis, protinus nosse et mortifera devitare. Nullum animal ad vitam prodire sine metu mortis. Nec metuere alia quam debeant neque umquam oblivisci huius tutelae et diligentiae: aequalem esse illis a pernicioso fugam. Inde apparere non usu edocta animalia fugere, quae perniciosa sint, sed naturali amore salutis suae. Nulla denique tam esse bruta, quamvis in cetera torpeant, quae non illam ad vivendum sollertiam habeant (epist. 121). Hoc innixus fundamento melius Epicurus dolores atque aegritudines consolabatur quam Stoici, eadem fere dicens, quae illi, sed omnia dicens humanius et omnibus vulgari utens sensu vocibus cum blandissima vi persuadendi. Firmos Epicurus quoque suos reddere studebat idque, ut Stoici, efficiebat corroboranda ratione. In quo de eo, quod quasi caput est totius philosophiae, consensu maximam debet habere admirationem, quod multis illi philosophi aperte inter se contraria docere visi sunt. Senecam vero, quamvis Zenonis doctrinam professus sit, apertissimam contendo, ut Epicurum, acutularum rationum atque conclusionum ostendere contemptionem atque Epicureorum potius consimili usum ratione veritatis submovisse involucra, ut appareret, quid in quaque re esset. Sic Lucilium suum iubet rebus demere tumultum (epist. 24, 12). Tum sciturum illum nihil esse in istis terribile nisi ipsum timorem. Puerorum vel viri ei similes videntur. Nam illi, quos amant, quibus adsueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt. Ad vanos igitur terrores dispellendos suadet, ut non hominibus tantum, sed rebus quoque personam demamus et reddamus faciem suam. Ut Stoicus, spem Seneca et misericordiam in vitiis ponit; Epicurum autem confidenter secutus vitio vitium repelli et spe metum temperari iubet (epist. 13, 12). Apertos Epicureae doctrinae colores haec quoque ostendunt: „Illud quoque proderit, ad alias cogitationes avertere animum et a dolore discedere: cogita, quid honeste, quid fortiter feceris . . . memoriam in ea, quae maxime miratus es, sparge“ (epist. 78, 18). Eundem Epicurum maioribus certioribusque animi voluptatibus corporis dolores constat vincere solitum esse (epist. 78, 22).

Deinceps Senecae de morte opiniones examinandae videntur, de qua certiora constat docuisse Epicurum quam Zenonem. Raro Stoici loquuntur de morte, ut de re una omnium et certissima et incertissima, interdum tamen ea dicunt, ut quodammodo animam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videantur putasse immortalem esse. Neque vero quae de immortalitate dicunt, ad universos pertinent homines: magnorum virorum manibus aliquem post mortem locum assignabant, unde pulcherrimo totius rerum universitatis spectaculo possent frui, reliquos putabant omnes aeterno somno sepultos iacere. Epicurus contra omni verborum abstinens fallacia mortem semper vocavit aeternam quietem, in qua omnis sensus sublatus esset. Hoc autem summum sequebatur, ut veris rerum causis patefaciendis incertos metus mortisque terrores discuteret. Si cuiusquam philosophia, illa certe Epicuri meditatio mortis potest vocari (epist. 26, 8). Sic in Senecae quoque libris haec ipsa cogitatio, mortem non esse reformidandam neque in malis ponendam, quasi primas agit. Hoc utrumque apparet ei proprium philosophiae munus visum esse, ut confirmaret animum et ad mortis et ad vitae patientiam. Plerosque enim, ut Epicurus, miratur vitam inquietam sibi facere metu mortis (epist. 24, 22—24). Quod cum cotidie mors nobis quoque hodie immineat, tamen proxime in illorum temporum atrocitate videbatur imminere. Sequitur, ut illa aetas maxime apta fuerit ad excitanda studia philosophiae, quae vel Socrati nihil aliud videbatur quam mortis quaedam meditatio. Qualis quamquam omnium quodammodo philosophia fuit — quis enim philosophi nomine dignus videatur, quin aliquo modo suos ad moriendum praeparaverit? —, tamen Epicurus tam de ea re dicit multa tamque varia, ut veteribus mortis consolator κατ' ἐξοχήν, ut aiunt, debuerit videri. Quamobrem hoc ipsum Epicureum in Senecae libris putandum est, quod frequentissimas habent de morte disputationes. Quod quamquam concedi debet nihil illum plane novi de morte dixisse, tamen illis potissimum locis apparet insignis illa eius vis persuadendi animosque fortiter movendi verbisque ex vulgaris vitae faece ad gravia ac sublimia tollendi. Cohaeret autem arcte illa eius mortis contemptio cum vitae contemptione, qua est effectum, ut sancti eius libri viderentur.

Senecae tempora iam non eadem erant, quae fuerant Epicuri: minus aequales Senecae erant simplices ridebantque quae fortissime olim mentes percusserant. Quas aniles iam Cicero vocabat superstitiones, eas ne Senecae quidem videbatur esse, cur verbis dispelleret. „Non sum tam ineptus", inquit (epist. 24, 18), „ut Epicuream cantilenam hoc loco persequar et dicam vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rota volvi nec saxum umeris Sisyphi trudi in adversum nec ullius viscera et renasci posse cotidie et carpi. Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras et larvalem habitum nudis ossibus cohaerentium: mors nos aut consumit aut exuit. Emissis meliora restant onere detracto, consumptis nihil restat: bona pariter malaque submota sunt." Nemo igitur fere tum illa apud inferos supplicia deorumque post mortem ultiones timebat, sed in mediis vitae terroribus vitae cotidie metuebant ereptionem. Quae autem vitae potest esse tranquillitas sub hoc iugo gementibus? Hoc igitur Seneca quoque potissimum censet sibi agendum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse, ut et metu mortis et metu paupertatis animos liberet (epist. 80, 5). In qua re quem certiorem potuit sequi ducem quam Epicurum, qui suis non tam voluptatis patronus ac suasor, quam frugalitatis laudator et paupertatis ac mortis liberator exstitit? Ista de inferorum portentis Seneca, ut Epicurus, lusisse dicit poetas, vanis, qui talia crederent, agitari terroribus. Eisdem, quibus Epicurus utitur, verbis mortem dolorum omnium vocat exsolutionem et finem, ultra quem mala nostra non exeant, quae nos in illam tranquillitatem reponat, in qua, antequam nasceremur, iacuerimus. Qui mortuorum igitur misereatur, eum etiam non natorum debere misereri. Aeterni autem illius somni imago nullis ne somniorum quidem umquam visis turbati tam blanda et Epicuro et Senecae videtur imago, ut nemo umquam de animae corpori superstitis post mortem beatitudine cum sanctiore gaudio locutus sit quam illi de aeterna mortuorum post tantas vitae sollicitudines nihil iam sentientium pace. Neque id mirum. Nam mors quaedam eis philosophiae ministra videbatur. Quod utrique, et Stoici et Epicurei, appetebant, ut vitae illi motus, qui vocantur affectus, reprimerentur et fere exstinguerentur animae cum sollicitudine semper aliquid aut cupientis aut metuentis desideria, id ipsum morte efficiebatur. Quam per multos labores sibi sapientes parabant quietem, eam mors, sapientiae quasi amica et effectrix, dabat omnibus. Omnibus Seneca mortem dicit finem esse, multis remedium, quibusdam votum, de nullis eam melius meruisse quam de eis, ad quos venerit, antequam invocaretur (ad Marciam 20, 1). Sic igitur matrem consolatur filii mortem deplorantem: „Excessit filius tuus terminos, intra quos servitur. Excepit illum magna et aeterna pax. Non paupertatis metu, non divitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non invidia felicitatis alienae tangitur, non suae premitur, ne conviciis quidem ullis verecundae aures verberantur. Nulla publica clades prospicitur, nulla privata, non sollicitus futuri pendet et ex eventu semper in incertiora dependenti. Tandem ibi constitit, unde nil eum pellat, ubi nihil terreat“ (ad Marciam 19, 6). Sic saepe disputans Seneca, quamquam nihil promittit de beatis futurae post mortem vitae deliciis idque ipsum proponit sensum in nobis fore nullum, qua condicione nihil plerisque miserius videtur, tamen aeternitatis quodam horrore mentes perfundit et quasi dilatat et levia futiliaque omnia, quae firmiter tenebant, cogit dimittere. Qualis ipse Epicurus fuerit, pro certo non scimus, quamquam hoc scimus simplicius eum atque placidius locutum esse: Lucretius vero Epicureus, cum vitae mortisque dissipat terrores, aeque nervosis atque Seneca utitur verbis sanctaque, ut ita dicam, orationis incitatione, quam omnes semper Lucretii lectores admirati sunt. Hac ipsa autem felicissime et fortis et propriae orationis incitatione omnes veterum philosophos, si unum excipias Lucretium Carum, facile vincit Seneca, qui quamquam nihil fere umquam novis argumentis aut refutavit aut confirmavit, tamen insigni tractationis arte effecit, ut antiquorum illae philosophorum voces in intimos animorum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

recessus penetrarent. Quid mirum quod non tam tenebras menti offusas videtur velle dispellere aut aciem acuere ingenii, quam animae prospicere saluti, ne quae indigna sint cum studii ardore complectatur? Inde est repetendum, quod cum Senecae libros legimus, non unum ex schola philosophum aut sua aut aliorum inventa nobis videmur explicantem audire, sed sacerdotem quendam sanctissima voce aeternae salutis vias aperientem. Neque vero umquam sanctius loquitur quam cum mortis celebrat beneficia. Dies enim iste, quem multi ut ultimum reformidant, aeterni ei natalis videtur. Hanc esse, quae efficiat, ut nasci non sit supplicium, quae efficiat, ut non concidamus adversus minas casuum, ut servare animum salvum ac potentem sui possimus (ad Marciam 20, 2). „Caram te, vita," inquit, „beneficio mortis habeo". Gravissimam ei in vitae miseriis mortis cogitatio praebet consolationem multoque etiam maiorem quam virtutis vitaeque bene actae conscientia. Negat magnis ingeniis umquam caram in corpore moram esse. „Exire atque erumpere gestiunt, aegre has angustias ferunt, vagi per omne, sublimes et ex alto adsueti humana despicere" (ad Marciam 23, 2). Accedit, quod ex his vitae insidiis mortis beneficio in libertatem vindicamur et quasi in integrum restituimur (epist. 24, 17). Illam autem corporis exstinctionem ut ultimum malorum timentibus respondet cotidie nos mori, cotidie demi aliquam vitae partem et tum quoque, cum crescamus, vitam decrescere (epist. 24, 20). Mortem enim sub ipso vitae nomine latere. „Infantem in se pueritia convertit, pueritiam pubertas, iuvenem senex abstulit. Incrementa ipsa si bene computes, damna sunt" (ad Marciam 21, 7). Singulos igitur dies nos vult singulas vitas putare. Cui vita sua cotidie fuerit tota, eum Epicurea usus voce dicit securum esse. In spem vero viventibus proximum quodque tempus elabi, subire aviditatem et miserrimum ac miserrima omnia efficientem metum mortis (epist. 101, 10). Nam ille beatissimus est et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat (epist. 12, 9).

De morte voluntaria Stoici fere consentiebant cum Epicureis. Si necessitates ultimae inciderant, exibant utrique ex vita et molesti sibi esse desinebant (epist. 17, 9). Nil melius aeternam legem fecisse, quam quod exitus nobis dederit multos. Pythagoram igitur et Platonem, qui exspectandum esse dicerent exitum, quem natura decrevisset, libertatis dicebat Seneca viam intercludere (epist. 70, 14). Deo agit gratias, quod nemo in vita teneri possit. Patere enim undique ad libertatem vias multas, breves, faciles (epist. 12, 10). Si quid nos vetet bene vivere, bene mori non vetare (epist. 17, 5). Tamquam aliquando migraturos nos corpora nostra vult habitare, ut urgente extrema necessitate haec servitutis humanae claustra perrumpere possimus (epist. 70, 19). Reliquum est, ut ipsum audiamus Stoicorum spretis formulis cum perfecta Epicuri serenitate de ultima illa necessitate secum deliberantem (epist. 58, 35. 36): „Non relinquam senectutem, si me totum mihi reservabit, totum autem ab illa parte meliore: at si coeperit concutere

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mentem, si partes eius convellere, si mihi non vitam reliquerit, sed animam, prosiliam ex aedificio putri ac ruenti. Morbum morte non fugiam, dumtaxat sanabilem nec officientem animo. Non afferam mihi manus propter dolorem: sic mori vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo mihi esse patiendum, exibo, non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne, propter quod vivitur. Imbecillus est et ignavus, qui propter dolorem moritur, stultus, qui doloris causa vivit."

O. Weissenfels.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf